AUTHOR:

POSTMA, FERDINAND

TITLE:

DE NUMINE DIVINO QUID SENSERIT VERGILIUS

PLACE:

AMSTELODAMI

DATE:

1914

Master Negative #

92-80518-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


 Postma, Ferdinand.
...De numine divino quid senserit Vergilius. Disputatio litteraria quam ... submissurus est ... Ferdinand Postma ... Amstelodami, apud H.A. Van Bottenburg, 1914.
220 p. 24½ cm.

Thesis. Amsterdam. 1904.
At head of title: Universitas Libera Reformata Amstelodamensis.

Restrictions on Use:



TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 03.27.1992 INITIALS Emilian
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM




Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter



Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE NUMINE DIVINO QUID SENSERIT VERGILIUS

F. POSTMA


SIGILLVM · COLLEGII · COLVMBIAE · NOVI · EBORACI
IN LVMINE TVO VIDEBIMVS LVMEN

DE NUMINE DIVINO
QUID SENSERIT VERGILIUS.

Universitas Libera Reformata Amstelodamensis.

DE NUMINE DIVINO QUID SENSERIT VERGILIUS.

DISPUTATIO LITTERARIA

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS

P. A. DIEPENHORST,

IUR. DOCT., IN FAC. IUR. PROF. ORD.

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITTERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLLEMNI EXAMINI SUBMISSURUS EST IN AEDIBUS QUIBUS NOMEN „DE WERKENDE STAND"

FERDINAND POSTMA,

E PAGO ALIWAL NOORD,

CALENDIS MAIIS MCMXIV, HORA II.

AMSTELODAMI,

APUD

H. A. VAN BOTTENBURG.

MCMXIV.

PATRI OPTIMO

CARISSIMAE UXORI.

Libelli mei qualiscunque scribendi fine facto, cum iam in eo sit, ut studia academica absolvam, imprimis est celebrandus Deus Optimus Maximus, cuius maximis beneficiis factum est, ut eo confecto, quod mihi proposui, gratissimo animo in patriam, in Africam meridionalem, cum meis rediturus sim.

Deinde facere non possum, quin maximas agam gratias tibi, clarissime J. WOLTJER, *praeceptori optimo, aestumatissimo promotori, cui imprimis debeo, si quid in philologia tam Graeca quam Latina sapio, si ullam verae scientiae notionem obtinui; et tibi, clarissime* GEESINK, *qui me philosophiae historia et logicae elementis instituisti. Quamquam scholis tuis, clarissime* R. H. WOLTJER, *ut interessem, mihi non contigit, tamen ex consuetudine ac familiaritate utilitatem non parvam cepi. Neque non benevolentiam, quam in me contulistis, viri clarissimi* BAVINCK, KUYPER, VAN GELDEREN, GROSHEIDE, *grata memoria prosequar.*

Tum vobis omnibus, cives amicique mei, qui optime de me meriti estis multis in rebus, quas omnes hic commemorari necesse non est, singulares gratias ago. Quanam ratione gratia pro merito reddenda est vobis, viri spectatissimi, Scholae nostrae, quae est in pago Potchefstroom, CURATORES, *quippe qui mihi a muneribus atque officiis*

dederitis promptissimis animis vacationem, qua usus studia academica ad finem perducerem? Mihi est persuasum vestri beneficii memoriam non melius me conservaturum esse, nisi cum id pro virili parte agam, ut Schola nostra crescat et floreat. Neque obliviscar, quam multa debeam ECCLESIAE REFORMATAE IOHANNESBURGENSI, *quae omnibus suffragiis suo verbi divini ministro,* M. POSTMA, *artium magistro, permisit, ut esset officiorum meorum vicarius. Laudes tuas, carissime pater, hic extollere non est in animo, neque tales quaeris gratias; liceat tamen mihi, filio grato, ex animi sententia gratiam quam maximam referre tibi, qui partes meas magno studio animoque parato suscepisti.*

Denique vos, quibuscum usus et consuetudo mihi in Neerlandia commoranti intercedebant, vos omnes valere iubeo.

CONTINENTUR.

PROOEMIUM.

Saepenumero in legendis carminibus Vergilianis me ipse interrogavi quaenam notiones essent subiectae vocibus, quae sunt „fatum" et „fata", quae in Bucolicis Georgicisque, sed potissimum in Æneide sescenties inveniuntur. Cum enim hae voces tam saepe occurrant, per se intellegitur eum, qui carmina legat, non solum sua sponte se id interrogare, verum etiam interdum cogi diligenter accurateque inspicere textum, qui dicitur, ut quid illis verbis significaverit poeta cognoscatur. Qua de quaestione dum in animo cogito, sed nondum eam penitus (sit venia verbo!) investigavi, legi ea quae vir doctus J. MacInnesius scripserat de fatis in Æneide [1]). Sed, quoniam mihi non convenit cum viro docto, quippe qui rem alio modo explicare videretur atque eam solvendam esse putabam, diligentiam ad hanc quaestionem investigandam conferre statui. In hac re autem inquirenda mihi persuasum est, ut cognoscatur et perspiciatur, quid iudicandum sit de fato apud Vergilium, necesse esse percontari, quid de numine divino senserit poeta. Duae enim hae res tam arte inter se cohaerent, ut de illa re agi mihi videatur non posse nisi dicatur de hac re, quod idem ipse vir doctus J. MacInnesius putavisse

---

1) „The conception of Fata in the Æneid" (Classical Review XXIV, 1910, p. 169 ss.).

videtur, initio illius disputationis, supra laudatae, dicens: „one of the crucial questions that can be asked about a poet is: what views does he express concerning the spiritual element of the universe and its action on mankind? What does he conceive to be the relation of man to the powers that produced and condition him? Nowadays all serious poets, except the lyrical[1]), have their powers estimated by the amount of philosophical reflection that their Weltanschauung, their theory of the universe, exhibits. Assuming that Virgil did not, nay, could not write the Æneid without possessing and manifesting some kind of metaphysical system, I shall endeavour in this paper to discover what principles of thought underlie his presentation of the relations of gods and men, and are implicit in his use of the word *fata*."

Quae cum ita sint, in animo habeo in hoc opusculo inquirere quid de numine divino senserit Vergilius, qua in re investiganda etiam de fato apud poetam esse agendum patet.

Quamquam in commentariis, quibus nomen est „The Spectator", scriptor quidam dicit: „to study the philosophical or religious views of some great poet is an amusement which is now very fashionable", tamen omnino facio cum viro docto Glovero, adnotante ad illa verba: „I think that any one who has tried in earnest to grapple with a great poet of antiquity will not call it an amusement, but a discipline, and will be glad to have submitted his mind to such a teacher in such an intimacy" [2]). Sed aliae quoque sunt causae, cur id, quod

1) Cur poetae lyrici excludantur non video.

2) Cf. T. R. Glover, Virgil, 1912^{2}, Lond., p. 332 adn. 2. Facere non possum quin hic laudem ea quae vir doctus J. Woltjer in libro, qui

mihi proposui, pertractare velim. Primum dico tempus, quo Vergilius vivebat, quod omnium temporum, quae antecesserunt, maximi fuit momenti. Aderat enim ille dies, de quo pulcherrimis verbis vaticinabantur prophetae Veteris Testamenti; aderant illa tempora, quae Iesaias propheta verbis, quae sunt שְׁנַת־רָצוֹן לַיהוָה [1]), indicat; illa dico tempora, quae Paulus apostolus dicit *τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου* [2]), quo is qui *ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος ἐγένετο ἄνθρωπος, ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ*, quo *ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν* [3]). Christo venienti via parabatur, quem ad finem etiam imperium Romanum Deus voluerat adhibere. Audias ea quae Prudentius de hac re cecinit:

586. „Discordes linguis populos et dissona cultu
„regna volens sociare Deus, subiungier uni
„imperio . . . constituit . . .
602. „Hanc frenaturus rabiem Deus undique gentes
„inclinare caput docuit sub legibus isdem . . .

inscribitur „De wetenschap van den logos", (Amsterdam, 1891) p. 53, dicit: „alles verstaan, alles in verband en verhouding begrijpen is ons niet gegeven; wij zullen daarom tot het onderzoek van het eene ons meer begeven dan van het andere, naarmate we het hooger schatten in zijne beteekenis. Naar het door ons beleden beginsel zal ik mij dus liever met Ernst von Lasaulx wenden tot een onderzoek over de gebeden der Grieken en Romeinen, hunnen vloek, over den eed bij de Romeinen of het huwelijk bij de Grieken, dan tot een onderzoek naar de werktuigen in de theaters, of het costuum der tooneelspelers; de beteekenis van den logos in de eene rij van onderwerpen is toch waarlijk niet gelijk aan die in de andere rij. De waardeering der dingen is altijd van invloed op de richting, waarin het wetenschappelijk onderzoek zich uitstrekt."

1) Ies. 61 : 2.

2) ad Gal. 4, 4.

3) Ev. Ioan. c. 1.

608. „Ius fecit commune pares et nomine eodem
„nexuit et domitos fraterna in vincla redegit...
619. „Hoc actum est tantis successibus atque triumphis
„Romani imperii; Christo iam tunc venienti,
„crede, parata via est, quam dudum publica nostrae
„pacis amicitia struxit moderamine Romae" [1]).

Maximi igitur momenti fuerunt ea tempora, quibus homines diem salutis iam appropinquantem quasi praesagiebant, cum Athenienses aram statuerant ἀγνώστῳ θεῷ, [2]) quasi de diis a patribus acceptis desperarent; cum Vergilius illam pulcherrimam eclogam, dico quartam, scripsit; de quibus vir doctus J. Woltjerus dicit: „daar ging in de laatste jaren vóór Christus' geboorte een gevoel van verwachting en verlangen door de oude heidenwereld. Het oude had afgedaan, een nieuwe bedeeling stond te komen" [3]).

---

1) Contra Symmach. (ed. Alb. Dressch, Lips. 1860) ii. 586 ss. (Cf. Glover, o. l. p. 145).

2) Recentissimis temporibus vir doctus Ed. Nordenius edidit de hac re agentem librum, cui titulus est: Agnostos Theos (Leipz. Berl. 1913). Cf. de hoc opere Harnack, Ist die Rede des Paulus in Athen ein ursprünglicher Bestandteil der Apostelgeschichte? (Texte u. Untersuchungen XXXIX. 1. pp. 1—46); Litt. Zentralblatt, No. 16 (1913); Wochenschrift für Klass. Phil. No. 19 (1913); Class. Review, vol. XXVII, No. 6 (1913); Götting. gelehrte Anzeigen, No. 10 (1913); Deutsche Litteraturzeitung No. 47 (1913).

3) Cf. Pontius Pilatus, Amst. 1888. Audiatur vir doctus O. Ribbeck, Gesch. d. Röm. Dichtung II (1889, Stuttgart) p. 24: „die Sehnsucht nach einer neuen Wendung der irdischen Dinge, nach einem Friedensbringer für die sturmbewegte Welt, das Gefühl, dass die alte Zeit zur Rüste gehe und ein neuer Tag anbreche, lag damals in der Luft". Cf. praeterea P. Wendland, Die Hellenistisch-Römische Kultur, Tübingen, 1912[2, 3] pp. 142—3. Audias ea, quae vir doctus R. H. Woltjer, Het Woord Gods en het woord der menschen (Utrecht 1913), dicit p. 119: „steeds duidelijker treedt aan het licht, hoe van dezen tijd af het contact, dat reeds van oudsher tusschen de volken rondom de Middellandsche zee blijkt bestaan te hebben, gestadig en onaf-

Itaque operae pretium esse investigare quid, non dicam scriptor quivis, sed poeta illis temporibus, senserit de numine divino quis est qui neget? Poeta enim est divino ingenio, quo vulgari, ut ita dicam, homini longe excellat, nam ad eum, qui unus e multis est, ipsae maximae gravissimaeque res, quae fiunt, plerumque nullo modo pertinent; contra autem poetae animum vel res parvae tangunt. Non solum celerius atque melius sentiunt poetae quam alii, quid vel minimae res significent, sed etiam pulcherrimis verbis eximiisque imaginibus et translationibus efficiunt, ut etiam alii, qui eorum carmina legant, animadvertere possint quam pulchrae sint multae res, saepius neglectae [1]). Quae si vera sunt ad res cotidianas quod attinet, negari non potest tales res magnas atque graves, quales Vergilii aetate acciderent, poetam valde vehementerque commovisse. Qui vere poeta est, is speciem atque imaginem, in rebus expressas, mentis quasi oculis videt et percipit [2]), atque cum de iis rebus canit, non solum carminibus suis aequales docet, verum etiam vaticinatur, sicut verbo „vates", quo saepissime nominantur poetae, indicari videtur. Nullum est

---

gebroken toeneemt, tot het in de Hellenistisch-Romeinsche periode zijn hoogtepunt bereikt en tegen het begin onzer jaartelling onder die volken een kultuureenheid tot stand gebracht heeft, die voor de verbreiding van het Evangelie den bodem heeft geschonken". Vid. praeterea pp. 221, 305—6.

1) Cf. Dr. J. Woltjer, Beginsel en norm in de literatuur, Leiden, 1901, p. 10: „de dichter is mensch, zijne gaven zijn menschelijke gaven. Wat hem onderscheidt is dat hij fijner en dieper de realiteit van het ideëele in de wereld aanschouwt en gevoelt dan gewone stervelingen, en dat ideëele weergeeft in woorden, die het uitdragen in de zinnelijke realiteit". Cf. praeterea p. 15: „de dichter ziet klaarder e. q. s."

2) Ibid. p. 14: „de dichter ziet de idee in de reëele wereld zelf. Zijne ziel wordt door de dingen en de gebeurtenissen, 't zij ze vóór hem staan of uit de historische herinnering vóór hem treden, zóó aangegrepen, dat hij terstond het wezenlijke gevoelt en het, onbewust, omzet in een ideaal".

608. „Ius fecit commune pares et nomine eodem
„nexuit et domitos fraterna in vincla redegit...
619. „Hoc actum est tantis successibus atque triumphis
„Romani imperii; Christo iam tunc venienti,
„crede, parata via est, quam dudum publica nostrae
„pacis amicitia struxit moderamine Romae" [1]).

Maximi igitur momenti fuerunt ea tempora, quibus homines diem salutis iam appropinquantem quasi praesagiebant, cum Athenienses aram statuerant ἀγνώστῳ θεῷ, [2]) quasi de diis a patribus acceptis desperarent; cum Vergilius illam pulcherrimam eclogam, dico quartam, scripsit; de quibus vir doctus J. Woltjerus dicit: „daar ging in de laatste jaren vóór Christus' geboorte een gevoel van verwachting en verlangen door de oude heidenwereld. Het oude had afgedaan, een nieuwe bedeeling stond te komen" [3]).

1) Contra Symmach. (ed. Alb. Dressch, Lips. 1860) ii. 586 ss. (Cf. Glover, o. l. p. 145).

2) Recentissimis temporibus vir doctus Ed. Nordenius edidit de hac re agentem librum, cui titulus est: Agnostos Theos (Leipz. Berl. 1913). Cf. de hoc opere Harnack, Ist die Rede des Paulus in Athen ein ursprünglicher Bestandteil der Apostelgeschichte? (Texte u. Untersuchungen XXXIX. 1. pp. 1—46); Litt. Zentralblatt, No. 16 (1913); Wochenschrift für Klass. Phil. No. 19 (1913); Class. Review, vol. XXVII, No. 6 (1913); Götting. gelehrte Anzeigen, No. 10 (1913); Deutsche Litteraturzeitung No. 47 (1913).

3) Cf. Pontius Pilatus, Amst. 1888. Audiatur vir doctus O. Ribbeck, Gesch. d. Röm. Dichtung II (1889, Stuttgart) p. 24: „die Sehnsucht nach einer neuen Wendung der irdischen Dinge, nach einem Friedensbringer für die sturmbewegte Welt, das Gefühl, dass die alte Zeit zur Rüste gehe und ein neuer Tag anbreche, lag damals in der Luft". Cf. praeterea P. Wendland, Die Hellenistisch-Römische Kultur, Tübingen, 1912[2,3] pp. 142—3. Audias ea, quae vir doctus R. H. Woltjer, Het Woord Gods en het woord der menschen (Utrecht 1913), dicit p. 119: „steeds duidelijker treedt aan het licht, hoe van dezen tijd af het contact, dat reeds van oudsher tusschen de volken rondom de Middellandsche zee blijkt bestaan te hebben, gestadig en onaf-

Itaque operae pretium esse investigare quid, non dicam scriptor quivis, sed poeta illis temporibus, senserit de numine divino quis est qui neget? Poeta enim est divino ingenio, quo vulgari, ut ita dicam, homini longe excellat, nam ad eum, qui unus e multis est, ipsae maximae gravissimaeque res, quae fiunt, plerumque nullo modo pertinent; contra autem poetae animum vel res parvae tangunt. Non solum celerius atque melius sentiunt poetae quam alii, quid vel minimae res significent, sed etiam pulcherrimis verbis eximiisque imaginibus et translationibus efficiunt, ut etiam alii, qui eorum carmina legant, animadvertere possint quam pulchrae sint multae res, saepius neglectae [1]). Quae si vera sunt ad res cotidianas quod attinet, negari non potest tales res magnas atque graves, quales Vergilii aetate acciderent, poetam valde vehementerque commovisse. Qui vere poeta est, is speciem atque imaginem, in rebus expressas, mentis quasi oculis videt et percipit [2]), atque cum de iis rebus canit, non solum carminibus suis aequales docet, verum etiam vaticinatur, sicut verbo „vates", quo saepissime nominantur poetae, indicari videtur. Nullum est

gebroken toeneemt, tot het in de Hellenistisch-Romeinsche periode zijn hoogtepunt bereikt en tegen het begin onzer jaartelling onder die volken een kultuureenheid tot stand gebracht heeft, die voor de verbreiding van het Evangelie den bodem heeft geschonken". Vid. praeterea pp. 221, 305—6.

1) Cf. Dr. J. Woltjer, Beginsel en norm in de literatuur, Leiden, 1901, p. 10: „de dichter is mensch, zijne gaven zijn menschelijke gaven. Wat hem onderscheidt is dat hij fijner en dieper de realiteit van het ideëele in de wereld aanschouwt en gevoelt dan gewone stervelingen, en dat ideëele weergeeft in woorden, die het uitdragen in de zinnelijke realiteit". Cf. praeterea p. 15: „de dichter ziet klaarder e. q. s."

2) Ibid. p. 14: „de dichter ziet de idee in de reëele wereld zelf. Zijne ziel wordt door de dingen en de gebeurtenissen, 't zij ze vóór hem staan of uit de historische herinnering vóór hem treden, zóó aangegrepen, dat hij terstond het wezenlijke gevoelt en het, onbewust, omzet in een ideaal".

dubium quin poetae sint, ut Belgice dicimus „kinderen van hun tijd", attamen non sunt aequalium suorum discipuli sed magistri. Optimo igitur iure dicit vir doctus Gloverus: „a great poet will generally also be in advance of his contemporaries in the fullness with which he realizes the life of his day, with its problems and its solutions of those problems; and he will represent in some measure, whether he means it or not, the standpoint of a later age" [1]). Cum igitur Aristoteles dicit: „ἐποποιία δὴ καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας ποίησις, ἔτι δὲ κωμῳδία καὶ ἡ διθυραμβοποιικὴ καὶ τῆς αὐλητικῆς ἡ πλείστη καὶ κιθαριστικῆς, πᾶσαι τυγχάνουσιν οὖσαι μιμήσεις τὸ σύνολον" [2]), atque alio loco: „ἐοίκασι δὲ γεννῆσαι μὲν ὅλως τὴν ποιητικὴν αἰτίαι δύο τινές, καὶ αὗται φυσικαί. τό τε γὰρ μιμεῖσθαι σύμφυτον τοῖς ἀνθρώποις ἐκ παίδων ἐστί... καὶ τὸ χαίρειν τοῖς μιμήμασι πάντας" [3]), concedo iis verbis inesse aliquid veri, sed nemo est qui contendat artem poeticam omnibus ex partibus ad imitandi artem referendam esse; vir doctus J. Woltjer hanc opinionem levem esse parumque subtilem putat [4]).

---

1) O. l. p. 1. Cf. praeterea R. Heinze, Virgils Epische Technik (Leipz. u. Berlin, 1908^{2}) p. 470: „es liegt in seiner (sc. Vergilii) Auffassung vom Dichterberufe begründet, dass der *vates* zugleich der Lehrer und Erzieher seines Volkes sein soll". Cf. J. W. Mackail, Virgil and Roman Studies (The Journal of Roman Studies, Vol. III, 1913, Pt. I) p. 6: „he stands where he does, between two worlds, not only in the patent sense in which he sums up the Rome that was before him and looks forward upon the Rome that was to be after him, and is the voice of both, the interpreter of the one, and the guide and prophet of the other e. q. s."

2) De arte poetica c. 1, § 2.

3) o. l. c. 4, § 2.

4) o. l. p. 9: „in elk geval is zij tamelijk oppervlakkig; zij brengt wel het begrip *kunst* logisch onder een algemeener begrip, maar het innerlijk beginsel der poezie is daarmede niet geraakt."

At fortasse dixerit quispiam omnia haec, quae sunt dicta, pertinere ad eos, qui magni sunt poetae, non ad Vergilium, quippe qui in illorum numero haberi non possit. De hac re igitur pauca verba videntur esse mihi dicenda.

Vir doctus B. G. Niebuhrius ex iis, quae Suetonius [1]) de Vergilio tradidit: „egerat cum Vario, priusquam Italia decederet, ut si quid sibi accidisset, Æneida combureret; at is ita facturum se pernegarat. igitur in extrema valetudine assidue scrinia desideravit, crematurus ipse" [2]), concludit: „dass er... vernichten wollte was er in diesen feierlichen Momenten eben als den Stoff falsches Ruhms wehmüthig betrachten musste" [3]). Melius autem mihi videtur vir doctus Sellarus illa verba allata interpretari, cum, agens de eo, quod vocat „Virgil's self-depreciation", dicit: „no poet could well be animated by a loftier ambition than Virgil; yet few great poets seem to have been so little satisfied with their own success. It was not in his nature to feel or express the confident sense of superiority which sustained Ennius and Lucretius in their self-appointed tasks nor even that satisfaction with the work he had done and that assurance of an abiding place in the memory of men which relieve the ironical self-disparagement of Horace" [4]). Audias virum doctum W. S. Teuffelium, qui, ut Anglice dicitur, „damns with faint praise" dicendo haec: „auch als Dichter ist er wesent-

---

1) Cf. M. Schanz, Röm. Litt. 1911^{3}, § 235: „da die Serviusvita auf Donat zurückgeht, die Donatvita im wesentlichen aus Sueton stammt..." Haec opinio omnium fere virorum doctorum est.

2) Vitae Vergilianae rec. Iac. Brummer, Lips. MCMXII — Vita Don. p. 9.

3) Röm. Geschichte, Vol. I, Berlin, 1827^{2}, p. 204.

4) W. Y. Sellar, The Roman Poets of the Augustan Age—Virgil (Oxford, 1908^{3}) p. 69.

lich derselbe. Am besten gelingen ihm solche Gegenstände, welche gemütliche Wärme erregen oder zulassen, wie die Natur, die Heimat, die Familie und die Liebe. Aber weich und nachgiebig, wie er war... lässt er sich von aussen auf Vorwürfe führen, denen seine Begabung nicht recht entsprach" [1]). Cum iis qui putant poetae ad Bucolica et Æneida quod attinet male successisse, facit vir doctus Schanzius [2]). Quod attinet ad Æneida Vergilium erravisse in argumento eligendo censere videtur dicens: „schon die Sage vermag nicht unsere Sympathien zu erregen; wir empfinden dieselbe sofort als ein künstliches Produkt" [3]). Iniuria autem mea quidem sententia vir doctus in iudicando proficiscitur ab eo quod ipse de re opinatur; nam si hac ratione de poetarum carminibus iudicare velimus, verear ne multi et magni poetae cum temporum actorum, tum aetatis nostrae, non tales haberi possint. Itaque, quamquam non omnibus ex partibus mihi convenit cum viro docto Mackailio dicente: „no subject is in itself, we may say,

1) Röm. Litt. 1910[4], § 225. Facere non possum quin hic adferam ea quae vir doctus Dom. Comparetti in eximio opere, quod inscribitur „Virgil im Mittelalter" (aus dem Italienischen übers. von H. Dütscke, Leipz. 1875) de opinione Teuffelii, supra laudata, dicit p. 10, adn. 2: „unmöglich ernst gemeint kann die von einigen modernen Kritikern (s. unter anderen Teuffel, Gesch. d. röm. Lit. p. 39) ausgesprochene Ansicht sein, als sei die weiche und sanfte Natur Virgils für das Epos nicht geeignet gewesen. Man nenne mir doch den Epiker von derselben Kategorie, zu der Virgil gehört, den man wirklich für das Epos geschaffen erklären kann. Etwa den platonischen Tasso, den frommen Milton oder den mystischen Klopstock? Unter so vielen, durch Nationalität und Charakter so verschiedenen Dichter, hat der *weiche* Virgil allein das beste Gedicht in seiner Art geschaffen, während der vielseitige Titane Goethe als er ein heroisches Epos dichten wollte, es nur bis zu einer so unvollkommenen Schöpfung wie die Achilleis bringen konnte!"

2) O. l. § 250.

3) O. l. § 234.

even though the statement may wear an appearance of paradox, more poetical or less poetical than another; for no subject is poetical at all, except in so far as poetry touches and kindles it. A subject does not inspire poetry; it is poetry that inspires a subject. An unpoetical subject means a subject which has not become poetical because poetry, the shaping spirit, has not in fact condensed out of it an image of perfection" [1]), tamen concedendum est hanc opinionem esse magis probandam quam eam, quae videtur illis verbis viri docti Schanzii supra laudatis inesse. Ex hac parte igitur optimo iure de Æneide vir doctus Gloverus dicit: „its subject had so far inspired no great poetry whatever, and it is only under the touch of Virgil that we realize that it had any poetic possibilities in it... The poverty and the dryness of the story before Virgil, when we compare it with the wonderful epic, bring home to us in a new way the genius of the Roman poet" [2]).

Sed ne plures adferamus opiniones eorum, qui de Vergilio, imprimis quod ad Æneida attinet, male existimaverunt, revocamus ad viri docti H. R. Plüssii operis, cui titulus est „Vergil und die Epische Kunst" (Leipz. 1884), pp. 1—3.

Notum est iam apud antiquos fuisse, qui Vergilium vituperarent [3]), sed ii, qui poetam laudabant, longe plures

1) Cf. J. W. Mackail, Lectures on Poetry, Lond., 1911 pp. 37—8.

2) O. l. p. 104.

3) Cf. Vita Donat. p. 10: „obtrectatores Vergilio numquam defuerunt", quibus verbis non male adduntur haec: „nec mirum, nam nec Homero quidem". Cuinam enim poetae aut rerum scriptori aut aliis hominibus, praesertim cum sint in existimatione, unquam obtrectatores defuerunt? „Saepius", cecinit Horatius,

„saepius ventis agitatur ingens
„pinus .... feriuntque summos
„fulgura montis" (Carm. II, 10 vss. 9, 11—12).

fuerunt; accedit quod Vergilii obtrectatores erant homines obscuri, contra autem inter eos, qui poetam honore maximo afficiebant, enumerandi sunt Augustus, Maecenas, Propertius [1]), Horatius [2]), Ovidius [3]), alii. Quibus honoribus ab aequalibus Vergilius ornatus sit, apparet ex iis quae Tacitus tradit: „malo securum et quietum Virgilii secessum, in quo tamen neque apud divum Augustum gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. testes Augusti epistulae, testis ipse populus, qui auditis in theatro Virgilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic quasi Augustum" [4]). Suetonius commemorat „bucolica eo successu edidit, ut in scaena quoque per cantores crebro pronuntiarentur" [5]).

Porro notum est versus Vergilianos saepissime laudavisse Senecam philosophum, qui poetam vocat „maximum vatem" [6]). Sed quid plura? Ecclesiastici patres quid de poeta iudicaverint quis ignorat? Ex hisce audias unum, sed illum maximum — Augustinum dico — cuius opinio de poeta patet ex hisce verbis: „Vergilium, quem propterea parvuli legunt, ut videlicet poeta magnus omnium-

1) De Æneide sic praedicabat:
„cedite Romani scriptores, cedite Grai:
„nescio quid maius nascitur Iliade" (II, 34, 65).

2) De Bucolicis canit hac ratione:
„molle atque facetum
„Vergilio adnuerunt gaudentes rure camenae" (Sat. I, 10, 44).

3) De Æneide dicit:
„Et profugum Aenean, altae primordia Romae,
„quo nullum Latio clarius extat opus" (Ars amat. III, 337).

4) Dial. de Orat. 13.

5) Vit. Donat. p. 6.

6) Dial. X, 9, 2.

que praeclarissimus atque optimus teneris ebibitus animis non facile oblivione possit aboleri" [1]).

Quod igitur Vergilius et apud antiquos et apud homines aetatis mediae, quae dicitur, et apud homines aetatis recentis usque ad initium undevicesimi saeculi maxima in existimatione fuit, satis documenti esse mihi videtur illum in magnorum poetarum Graecorum Romanorumque numero habendum esse [2]).

Iam si quaerimus cur multi iique praeclari viri, imprimis viri docti Germanici [3]) (viri docti Gallici, Anglici, ne Italicos nominem, poetam plerumque laudibus extulerunt) potissimum de Æneide male iudicaverint et iudicent, huiusce rei causae variae multaeque dici possunt. Omnes vero causas enumerare atque pertractare nec meae facultatis nec huiusce loci est; unam tantum rem leviter perstringere velim, quod scilicet Vergilius non solum Homerum, Theocritum alios imitatus esse, sed etiam id prave fecisse dicitur. Vergilium imitatorem fuisse quis est

1) De civ. dei I, 3 (edit. Domb.). Qui autem cognoscere vult, quanti fuerint momenti Vergiliana carmina, is legat Dom. Comparetii opus eximium, supra allatum, cuius pars prior, CCVI pp. obtinens, inscribitur „Virgil in der Literatur bis auf Dante". Cf. praeterea G. Bürner, Vergils Einfluss bei den Kirchenschriftstellern der vornikänischen Periode (Diss., Erlangen, 1902).

2) Optimo iure igitur vir doctus Sellarus dicit o. l. p. 69: „it does not seem possible that this reputation could have been maintained so long, in different ages and nations, without some catholic excellence, depending on original gifts as well as trained accomplishment, which could unite so many diversely-constituted minds of the highest capacity in a common sentiment of veneration".

3) „The fact is that, for whatever reason, the Germans do not enjoy the poetry of Virgil as the French do, and to be a sound critic of a poet it is necessary to enjoy him". (Cf. Glover. o. l., p. 84 adn. 2). His verbis autem de viris doctis Germanicis non ex aequo mihi videtur iudicatum esse; revocare licet ad haec opera: H. Theod. Plüss, Vergil u. die Epische Kunst, Leipz. 1884; O. Ribbeck o. l. II, pp. 13—16; R. Heinze o. l.; E. Norden, P. Verg. Maro, Æneis Buch VI, Leipz. 1903.

qui neget? Ipse Vergilius primus concedet se ab aliis scriptoribus poetisque multa deprompsisse, sed haec res nullo modo poetae gloriam infringere potest, quoniam „nachahmer ist er", ut ait vir doctus Comparetti, „weil er es sein musste, und weil kein noch so mächtiges Genie sich dieser Bedingung damals entziehen durfte. Eine Emancipation von all den Regeln der Kunst, wie sie die noch so lebendigen Schöpfungen der Griechen vorschrieben, konnte keiner wünschen noch wollen, und wäre nur mit Unwillen als etwas ganz Monströses und Unverständliches, aufgenommen worden. Das Genie kann sich nicht zu jeder Zeit und in allen Lagen des menschlichen Geistes frei bewegen" [1]). Sane, sed prave imitatus

1) O. l. p. 13. Operae pretium est audire ea quae de hac re dicit vir doctus Gloverus o. l. pp. 44—46: „Shakespeare's debt to North's translation of Plutarch's Lives is well known. Of *Julius Caesar* it is scarcely an exaggeration to say that the whole play is to be found in Plutarch ... Of the incident there is almost nothing which he does not owe to Plutarch even as continually he owes the very wording to Sir Thomas North ... (p. 45): Here, then, we have illustrations in Shakespeare of verbal indebtedness and indebtedness for incident. How far are we to say Shakespeare is „influenced" by Plutarch, or „under the influence" of Plutarch. And in the same way, we may ask if we are after all much helped to a real judgement on Virgil by the information that he took such and such episodes, passages, lines or phrases from Homer or Pisander? Was his mind in the least degree influenced by Pisander? How far does Homer affect his mind ... Probably, so far as matter is concerned, a poet may borrow with the utmost freedom without impairing his independence or originality. Shakespeare seems never to have invented a plot ... (p. 46): If a poet is to be great at all, his spirit will be his own"; quae ipsa res in carminibus Vergilianis quin insit mea quidem sententia non est dubitandum. Neque iniuria vir doctus Sellarus dicit o. l. p. 68: „it would be no exaggeration to say that the poems of Virgil, and especially the Æneid, have contributed more than any other works of art in modern times, not only to stamp the impression of ancient Rome on the imagination, but to educate the sensibility to generous emotion as well as to literary beauty". Cf. de hac re Heinze o. l. pp. 237—262.

est alios Vergilius, quippe qui diversas partes — ut adferam exemplum — ab Homero petitas, inter se non congruentes, coniungere conaretur, quemadmodum vir doctus P. Cauerus demonstravit [1]). Sed ipse hic vir doctus cautionem habere hanc quoque rem monet. Iure enim dicit fieri posse ut nobis inter se pugnare videantur ea, quae ipse Vergilius non ita senserit [2]). Sed haec hactenus.

Omnibus igitur consideratis, quae sunt dicta, facile intellegetur ad poetae carmina melius cognoscenda operae esse pretium inquirere quid de numine divino senserit Vergilius. Sed talis investigatio obstructa est nonnullis difficultatibus. Restat igitur ut de hisce rebus pauca verba faciamus.

Primum Vergilium poetam, non philosophum, fuisse memoria semper tenendum est. Philosophus enim, qui rationem ac disciplinam quandam bene ordinatam exstructamque componere vult, dialectico modo eleganter et subtiliter ratiocinatur; ex primis quibusdam profectus

1) P. Cauer, Zum verständnis der nachahmenden Kunst der Vergil, Kiel, 1885, p. 16. Cf. praeterea Ribbeck, o. l. II, p. 57: „die Æneis ist geradezu vollgesogen von homerischem Saft"; p. 58: „trotz aller Abhängigkeit atmet es seinen eigenen Geist: die Brust hebt sich höher, der Blick ist weiter, der Gesichtskreis grossartiger."

2) Cf. o. l. p. 16: „es muss auch innerhalb der Poesie eine Dichtung möglich sein, die sich von Missverständnissen des Originals frei hält, die es vermeidet Stücke zusammenzusetzen, die einander widersprechen ... Goethe ist eben kein Nachahmer im eigentlichen Sinne: er nimmt zwar auch fremde Elemente in sich auf und reproduciert sie; aber indem sie durch seinen Geist hindurchgingen, haben sie eine organische, nicht mechanische, Umwandlung erfahren, und was er nun aus ihnen bildet, ist wieder ein Eigenes, nicht mehr Angeeignetes. *Doch hier sind wir von neuem in Gefahr dem Vergil Unrecht zu thun. Vielleicht hat auch er die homerischen Elemente in seinem Geiste umgeschaffen; nur weil er kein Deutscher ist, darum erschienen sie uns Deutschen fremd.*"

cogitandi ratiocinandique via colligere alia quaedam conatur, qua via ac ratione disserendi usus id agit ut omnes notiones philosophеque cogitata de aliqua re inter se ita artissime cohaereant, ut in animo quasi unum quid exoriatur. Notiones igitur, quibus ille utitur, accurate definiuntur, ita ut altera ab altera internosci possit. Quae cum ita sint, eum, qui in animo habeat quaerere ac cognoscere quid philosophus aliqui de re aliqua cogitaverit, eandem viam ac rationem inire oportet, quam ille secutus est. Ad poetam vero quod attinet, res aliter se habet, quamquam nullum dubium est, quin ars poetica philosophandique ars inter se arte cohaereant, quemadmodum vir doctus J. Woltjerus exposuit hiscis verbis: „onder de hooge natuurlijke gaven des geestes zijn er twee zeer hooge: die van het denken en die van het dichten, van wetenschap en kunst. Zij sluiten elkander geenszins uit: het is mogelijk dat beide in éénen mensch gevonden worden; ik noem slechts een Lessing en een Bilderdijk ... Beide gaven, die van den denker en die van den dichter, zijn bij alle verschil, toch nauw verwant, zooals de functiën der ziel, waarin zij hunnen grond hebben, het verstand en de phantasie, in hunnen wortel eng verbonden zijn" [1]).

Hoc autem interest inter philosophum et poetam quod ille notionibus utitur, hic species imaginesque mentis oculis, ut ita dicam, quasi percipit ac videt [2]). Hanc rem igitur

1) Cf. Beginsel en norm i. d. lit. p. 13.

2) Ib. p. 14: „het verstand vraagt naar begrippen, de geestelijke aanschouwing naar ideeën. De wetenschappelijke onderzoeker en denker tracht een zuiver en klaar begrip te verkrijgen van het voorwerp van zijn onderzoek en denken ... De gave echter der innerlijke aanschouwing zoekt niet het logische begrip; zij stelt zich het wezen der dingen, voor zoover het gekend wordt, voor in een vorm en gestalte, niet voor het zinnelijk oog, maar voor den aanschouwenden geest. Door een geestelijke plasticiteit onderscheidt zich de idee van het begrip."

maximam praebere difficultatem ad cognoscendum et statuendum quid de aliqua re intellexerit poeta, negari non potest. Praeterea non solum id facere difficile est, sed etiam causa est cur caveamus. Etenim si quis ex iis, quae apud poetam inveniuntur, disciplinam quandam omnibus ex partibus bene ordinatam componere velit, non solum facere conetur id quod ipse poeta numquam in animo habebat neque habere poterat, verum etiam opinione praeiudicata verbis sententiisque supponat significationes, quae iis fortasse non insint.

Ad Vergilium quod attinet, facere possum cum viro docto Coningtone dicente „that with Virgil it is far less rash to suppose he realized any possible meaning for a line or passage than that he did not" [1]). Nec mirum est, si memoria tenemus haec verba Donati: „traditur cotidie meditatos mane plurimos versus dictare solitus ac per totum diem retractando ad paucissimos redigere, non absurde carmen se more ursae parere dicens et lambendo demum effingere" [2]), qua de causa poetam multos annos [3]) in carminibus componendis contrivisse facile intellegitur. Quamquam res ita se habet, tamen is errabit, nisi fallimur, qui eam ob causam censebit verba sententiasque apud Vergilium se ita interpretari posse, ut certa quaedam ratio ac disciplina ex carminibus cognoscatur. Cur id imprimis ad Vergilium quod attinet fieri non possit, hanc dico

1) Cf. Glover. o. l. p. 52. Cf. Mackail, Virgil and Roman studies, o. l., p. 3: „we cannot scrutinize his work too carefully for veiled allusions, and for a meaning in epithets and phrases which are seemingly casual or ornamental. Very often Virgil shows in these the power, finely ascribed to him by Dryden, of „saying much in little and often in silence".

2) Vita Donat. p. 6.

3) Cf. Vita Donat. p. 6: „bucolica triennio, georgica VII, Æneida XI perfecit annis."

causam, quod variorum philosophorum praecepta in eius carminibus inveniuntur.

De hac re autem, cum alteram praebeat difficultatem ad id, quod nobis proposuimus, cognoscendum pauca verba sunt dicenda.

Notum est Vergilii temporibus cum Epicuri tum Stoicorum doctrinam Romae floruisse; Vergilium familiariter usum esse ornatissimis excultisque viris, quales fuerunt Augustus, Maecenas, Asinius Pollio, C. Gallus, A. Varus, Horatius, alii; eum Augusti, Maecenatis, aliorum liberalitate [1]) securum otiosumque ad studia animum referre potuisse; porro scimus poetam sapientiae studiosum fuisse, sicut non solum apparet ex carminis, quod non immerito ei adscribitur, verbis hisce:

„nos ad beatos vela mittimus portus
„magni petentes docta dicta Sironis
„vitamque ab omni vindicabimus cura" [2]),

sed etiam Suetonius commemorat: „anno aetatis quinquagesimo secundo impositurus Æneidi summam manum statuit in Graeciam et in Asiam secedere triennioque continuo nihil amplius quam emendare *ut reliqua vita tantum philosophiae vacaret*" [3]).

Quibus consideratis non mirum est in eius carminibus occurrere multas variasque doctrinas. Quid enim ad eum pertinuerit Epicuri doctrina, cuius praecepta primus eum

1) Cf. Vita Donat. p. 3: „possedit prope centiens sestertium ex liberalitatibus amicorum."

2) Cat. V vss. 8—10 (edit. Vollmer. Lips. MCMX). De hoc carmine vir doctus Schanzius o. l. § 242 haec scribit: „Unter den übrigen kleinen Gedichten befinden sich aber solche, welche mit grosser Wahrscheinlichkeit Vergil beigelegt werden können. So wird der Meister die ergreifenden Choliamben Nr. 5(7) geschrieben haben."

3) Cf. Vita Donat. pp. 7—8.

docuit Siro ille magister, homo Epicureus [1]), sed quam imprimis ex Lucretii carminibus eum cognovisse inter omnes fere viros doctos constat, apparet — ut adferam exemplum — ex hisce versibus:

„felix, qui potuit rerum cognoscere causas,
„atque metus omnis et inexorabile fatum
„subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari" [2]).

Porro cum legimus:

„His quidam signis atque haec exempla secuti
„esse apibus partem divinae mentis et haustus
„aetherios dixere; deum namque ire per omnia
„terrasque tractusque maris caelumque profundum;
„hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
„quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitas" [3]),

poetam hisce versibus ad Stoicorum doctrinam alludere negari non potest. Quisnam dicet quibus ex fontibus hauserit Vergilius ea quae Æn. VI describit? Iis exceptis, quae pertinent ad Stoicorum doctrinam, multi viri docti, qui ad hanc rem cognoscendam studia diligentissime contulerunt, in hoc libro res, quae sunt Orphicorum, Pythagoreorum, Platonis, Neo-Platonicorum, inveniri censent [4]); neque mihi videtur errare vir doctus Fr. Cumontius,

1) Cf. Serv. (edit. Thil. et Hag.) ad Buc. VI, 13: „nam vult exequi sectam Epicuream, quam didicerant tam Vergilius quam Varus docente Sirone."

2) G. II 490—2. Notum est Vergilium ex Lucretii carminibus permulta deprompsisse.

3) G. IV 219—224. Cf. Æn. VI 724—34. Vid. E. Norden, P. Verg. Maro, Æneis Buch VI, Leipz. 1903, p. 16 ss.

4) Cf. G. Boissier, La Religion Romaine d'Auguste aux Antonins, I, 1909[7], Paris pp. 263—299; E. Norden o. l.; Glover o. l. pp. 232—272;

qui putat quod attinet ad res eschatologicas, quae dicuntur, veri esse simile Vergilium non inscium fuisse Chaldaeorum astrologicae, ut aiunt, doctrinae, quam Stoici et potissimum ille Posidonius in Romanorum virorum notitiam perferrent [1]). Praeterea commemorandum est viros doctos et antea censuisse et nuperrime putare in illa pulcherrima ecloga, quae est quarta, componenda poetam etiam opinionibus Iudaeicis, ad Christi adventum pertinentibus, usum esse [2]).

Vides igitur quam multae variaeque doctrinae esse in carminibus Vergilianis dicantur, ut unusquisque intellegat, quod nobis proposuimus, id investigare ac percontari multum habere difficultatis.

Denique accedit quod permulta Vergilii temporibus scripta aetatem non tulisse notum est, quae si haberemus multum ad veram illorum temporum cognitionem adferre possent; dico — ut adferam exemplum — scripta Augusti, quae fere omnia perierunt, nec non commemorandae sunt

---

W. Warde Fowler, The Religions experience of the Roman People, Lond. 1911, p. 424 ss.; C. Ranzoli, La religione e la filosofia di Virgilio, Padua 1900; G. A. van den Bergh van Eisinga, Æn. VI 724—51 (Theol. Tijdschrift 1903, pp. 425—439).

1) Cf. „Astrology and Religion among the Greeks and Romans", New-York and Lond. 1912, pp. 82—89, 178, 192. Videas praeterea ea quae Suetonius tradit: „inter cetera studia medicinae quoque ac maxime mathematicae operam dedit." (Vita Donat. p. 4). Nec non de Vergilii scientia audiatur Servius, qui in praefatione Æn. VI dicit haec: „totus quidem Vergilius scientia plenus est, in qua hic liber possidet principatum ... et dicuntur aliqua simpliciter, multa de historia, multa per altam scientiam philosophorum, theologorum, Ægyptiorum". Cf. Dom. Comparetti o. l. c. V.

2) Cf. Virgil's Messianic Eclogue, three studies by J. B. Mayor, W. Warde Fowler, R. S. Conway, Lond. 1907.

eius litterae, quas Tacitus novisse videtur, sicut ex loco supra allato apparuit [1]).

Ad Vergilium quod attinet, dolendum est litteras ab eo scriptas ad eumque missas non esse traditas. Suetonius tradidit haec: „Augustus vero — nam forte expeditione Cantabrica aberat — supplicibus atque etiam minacibus per iocum litteris efflagitaret, „ut sibi de Æneide", ut ipsius verba sunt, „vel prima carminis ὑπογραφή vel quodlibet κῶλον mitteretur" [2]); apud Macrobium invenimus partem epistolae a Vergilio ad Augustum missae; legimus enim Sat. I, 24, 11: „Ipsius enim Maronis epistula, qua compellat Augustum, ita incipit „ego vero frequentes a te litteras accipio." et infra „de Ænea quidem meo, si mehercle iam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem e. q. s."; veri est simile Senecam patrem dicentem: „magna quoque ingenia ... quando plus quam in uno eminuerunt opere? Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit; Vergilium illa felicitas ingenii sui in oratione soluta reliquit" [3]), ad Vergilii litteras spectavisse.

Ex hisce locis allatis hoc stare videtur, cum inter Augustum et Vergilium litterarum commercium fuisse, tum Vergilii litterarum alios habuisse notitiam. Neque veri est dissimile conicere per litteras cum aliis suis multisque amicis, qui Romae et alibi habitabant, collocutum esse poetam, quippe qui secessu Campaniae Siciliaeque plurimum uteretur, quem ad modum Suetonius comme-

---

1) Cf. o. h. p. 10. — „Wie Gellius 15, 7, 3 andeutet, scheinen die Briefe des Augustus in einzelnen libelli, nicht in einer, wie H. Peter (Geschichtl. Litt. der Kaiserz. 1. p. 460) meint, grösseren Sammlung veröffentlicht worden zu sein" (Schanz o. l. § 209, 6).

2) Vita Donat. p. 7.

3) Controv. III, praef. 8.

morat[1]). Ex hisce autem omnibus litteris nullae ad nos pervenerunt. Quis est qui dubitet quin eae litterae, si aetatem tulissent, ad melius cognoscendum, quid de multis rebus secum reputaverit ac senserit poeta, maximi esse momenti possent? Optimo iure de litteris vir doctissimus atque illustrissimus poeta Goethe dicit haec: „Briefe gehören unter die wichtigsten Denkmäler, die der einzelne Mensch hinterlassen kann. Was uns freut oder schmerzt, drückt oder beschäftigt, löst sich von dem Herzen los; und als dauernde Spuren eines Daseins, eines Zustands sind solche Blätter für die Nachwelt immer wichtiger, je mehr dem Schreibenden nur der Augenblick vorschwebte, je weniger ihm eine Folgezeit in den Sinn kam" [2]). Fieri potest ut, si Vergilii litterae aetatem tulissent, aliud iudicium de eo eiusque carminibus fortasse ferremus, quemadmodum ad Ciceronem quod attinet de Petrarca, viro eruditissimo, factum esse Schanzius commemorat[3]).

Sed ne plura faciam verba de difficultatibus, iam transeo, ut indicem tribus verbis, quonam modo id, quod propositum est, tractandum esse mihi videatur. Cum sit inquirendum, quid de numine divino senserit Vergilius, prius statuendum est quam rationem inter deos et homines intercedere putaverit poeta. Notum enim est de hac re philosophos alios alia docuisse. Nullam esse rationem Epicurus eiusque sectatores, omnia a diis regi Stoicos dixerunt. Haec quaestio igitur in universum pertinet ad religionem apud Vergilium; sed, quoniam religionis fundamentum apud poetam esse *pietatem* mihi persuasi, necesse habeo *primo*

---

1) Vit. Donat. p. 3.

2) Cf. Schanz o. l. § 157.

3) L.l.

capite agi de pietate, sed ita ut de religione quoque apud Vergilium dicatur. Quo facto transeundum est ad *alteram quaestionem*, utrum scilicet poeta plures deos an unum deum esse crediderit. Qua re investigata restat ut *tertio loco* rogemus, quid de fato apud Vergilium sit iudicandum[1]).

---

1) Ad res inquirendas indagandasque adhibui opera haec:

H. Merguet, Lexikon zu Vergilius, Lpz. 1912.

M. N. Wetmore, Index verborum Vergilianus, Lond. MCMXI.

G. A. Koch, Wörterbuch zu den Gedichten des P. Verg. Maro, 1885^{6}, Hannover.

Praeter editiones in usum scholarum editas notisque instructas a Ladewig-Schaper-Deuticke-Jahn, Brosin-Heitkamp, Kappes-Wörner-Fickelscherer, usus sum his:

O. Ribbeck, P. Vergilii Maronis Opera (apparatu critico in artius contracto), Vol. I—III, Lipsiae, MDCCCXCIV—V.

The works of Virgil with a commentary by J. Conington, revised by H. Nettleship, 3 vol. Lond. 1881—1883^{4}; Vol. I (ecl. et georg.) rec. F. Haverfield, Lond. 1898^{5}.

Ch. G. Heyne—Ph. Wagner, P. Verg. Maro, Vol. I—III, Leipz. 1830—41^{4}.

A. Forbiger, P. Verg. Maronis opera, Vol. I—III, Lips. MDCCCLXXII—V^{4}.

Opera alia locis suis commemorabo.

CAPUT PRIMUM.

De Pietate apud Vergilium.

Pietas quid sibi velit apud Vergilium hoc capite inquirere in animo est.

Iam prooemio paucis verbis indicavimus, quam ob causam *imprimis* agendum esse de pietate apud poetam nec de religione censeremus. Hoc praeterea dilucide apparebit ex iis, quae paginis proximis dicentur. Nihilominus necesse est de hac re planius hic agatur. Inquirendum est quamnam esse inter homines et deos rationem poeta putaverit. Iam notum est hanc rationem et religionis et pietatis voce significavisse Romanos[1]). At vocem, quae est „religio", latius patere quam vocabulum, quod est „pietas", non facile negabitur. Religionis enim verbo non solum significatur homines se diis esse subiectos sentire[2]), sed etiam

1) Cf. Dr. J. Woltjer, Religio en Pietas bij Lucretius, (Verslagen en Mededeelingen der Konink. Akademie van Wetenschappen. Afd. Letterkunde, IVe reeks, XI dl. II. Amst. 1912) p. 245: „de Romeinen in het algemeen drukten deze verhouding uit door de woorden *pietas* en *religio;* de begrippen, die door deze woorden worden aangeduid, zijn bij hen zeer nauw verbonden, zoodat op honderden plaatsen *pietas* en *religio* in éénen adem genoemd worden. Zij worden somtijds zelfs niet onderscheiden. Zoo zegt Cicero in zijne *Partitiones Oratoriae* § 78: „*iustitia ... erga deos religio*, erga parentes *pietas*," maar in het 1ste boek *de Natura Deorum* § 116: „*est enim pietas iustitia adversum deos.*"

2) Cf. G. Wissowa, Religion und Kultus der Römer, München, 1912², p. 380: „Grundlage und Voraussetzung für die gesamte Götterverehrung ist

indicatur quanam ratione ab hominibus colantur dii, ita ut haec vox saepe usurpetur pro *cura et caerimonia*[1]). Religio igitur et rei et hominis est, quod de pietate non est dicendum. Pietas enim, quippe quae spectet potissimum ad oboedientiam sive in parentes sive in deos, magis est virtus, quam sensus, ut vir doctus Fowlerus mihi videtur iure dixisse[2]). Cum igitur Vergilius, quod attinet ad rationem, quae diis cum hominibus intercedit, ipsam hanc oboedientiam fecisse insignem videatur, manifestum est cur huic capiti praemittatur: *de pietate apud Vergilium.* Ad hanc rem bene cognoscendam necesse est, ut opinor, prius investigari, quasnam notiones ad pietatem non pertinere poeta sibi persuaserit; i. e. inquiri, quae notiones verbo, quod est „impius", insint; quo facto disputabitur de vocibus, quae sunt „pius" ac „pietas" apud poetam. Hisce rebus tractatis restat ut quaeramus num apud Vergilium inter pietatem ac religionem sit discrimen, qua in re discutienda facere non possumus quin de superstitione pauca

das Gefühl der Abhängigkeit von der göttlichen Macht und Fürsorge (*religio*) und der Wunsch, die höheren Gewalten sich gnädig zu stimmen und zu erhalten."

1) Cf. W. Warde Fowler, Religious Experience of the Roman People, London 1911, p. 460: „though Cicero as a young man had defined *religio* as „the feeling of the presence of a higher or divine nature, which prompts man to worship, — to *cura et caerimonia*", (*de invent.*, ii. 161) yet later on in life he uses it with much freedom of that *cura et caerimonia* apart from the feeling. To take a single example among many: in a passage in his *de Legibus* (ii. 10. 25) he says that to worship private or strange or foreign gods „confusionem habet religionum"; and again he calls his own imaginary *ius divinum* in that treatise (ib. 10. 23) a *constitutio religionum*, a system of religious duties."

2) Cf. o. l. p. 462: „*pietas* is a virtue, that of obedience to the will of God as shown in private and public life, and it herein differs from *religio*, which is not a virtue but a feeling."

verba dicamus. Porro si memoria tenemus Lucretium ad Vergilium multum pertinuisse, inutile non erit rogare, quatenus de hisce rebus Lucretius et Vergilius inter se discrepent, unde exoritur alia quaestio, quaenam scilicet ratio intercedat ad has res Vergilio cum Stoicis.

Itaque hoc capite tractabitur

1. de voce, quae est „impius";
2. de verbis, quae sunt „pius", pietas";
3. de religione ac superstitione apud Vergilium;
4. quatenus de hisce rebus inter se differant Lucretius et Vergilius;
5. de ratione, quae intercedat ad has res Vergilio cum Stoicis.

1. De voce, quae est „impius".

(*a*). Scriptum legitur G. I 511: „saevit toto Mars impius orbe", ubi verbum, quod est „Mars", metonymice usurpari pro bello (ut A. II 335, VI 165, VII 550 aliis) perspicuum est. Quibusnam de bellis hoc loco cogitaverit, statui opus non est; hoc autem Vergilii temporibus gesta esse multa ac magna bella, inter quae nomino bellum Sociale, bellum civile inter Marium et Sullam, bella a Lepido, a Sertorio, a Spartaco, a Catilina, a I. Caesare, a triumviris gesta, nec non commemoranda sunt bellum navale contra Sextum Pompeium atque bellum inter Antonium et Octavianum, quod Antonio ab Octaviano Actii victo et superato confectum est; potissimum illud certamen inter Antonium et Octavianum commissum effecit ut cives Romani undique in duas partes dividerentur armisque captis inter se pugnarent. Recte igitur ad hunc locum adnotavit vir doctus Conington: „*impius* is emphatic; most of the wars of

the time were connected directly or indirectly with the civil conflict". Impia esse bella civilia dicit poeta cum eorum causam existimet esse periurium, quemadmodum colligi potest ex illis: „Laomedonteae luimus *periuria* Troiae" (vs. 502) et „*vicinae ruptis* inter se *legibus* urbes" (vs. 510). Foedera enim inter civitates vicinas icta, quorum testes invocantur dii, violantur ac rumpuntur, qua de causa homines faciunt periurium ideoque a diis puniuntur. Ex eo igitur quod homines neglegunt et contemnunt deos patrios (vs. 498) sequitur ut inter se confundantur „fas" et „nefas", sicut apparet ex verbis: „fas versum atque nefas" (vs. 505), i. e., nisi fallor, fas in nefas atque nefas in fas versum; ut fiant „multae scelerum facies" (vs. 506), quo loco vocem, quae est „facies", idem sonare atque „genera" etiam ex V 822, VI 104 aliis apparet; ut omnia vastentur, quoniam „squalent abductis arva colonis" (vs. 507), i. e. agri non culti sed neglecti vastationi deduntur. Neque parvi est momenti in fine huiusce libri inveniri verba: „neque audit currus habenas", quibus verbis indicare videtur poeta, ut quadrigae non amplius habenis coerceantur, ita homines diis contemptis eorumque praeceptis neglectis delirare[1]), peierare, furere ita ut non cohibeantur atque videatur esse „saeclum eversum" (vs. 500) i. e. civitas eversa[2]).

Eandem ob causam invenimus A. I 294 „Furor impius", quoniam sermo est de bellis civilibus[3]). A. XII 31 dicit Latinus Turno: „promissum eripui genero, arma impia sumpsi", cum contra deorum voluntatem se egisse sciat, nam

1) Cf. Horat. Epist. I 2, 14: „quidquid delirant reges, plectuntur Achivi".

2) Liv. XXX 16, 6: „veniam civitati petebant civium temeritate bis iam eversae".

3) Serv. ad l.: „Furor impius intus ut superius diximus propter bella civilia".

verba dicamus. Porro si memoria tenemus Lucretium ad Vergilium multum pertinuisse, inutile non erit rogare, quatenus de hisce rebus Lucretius et Vergilius inter se discrepent, unde exoritur alia quaestio, quaenam scilicet ratio intercedat ad has res Vergilio cum Stoicis.

Itaque hoc capite tractabitur

1. de voce, quae est „impius";
2. de verbis, quae sunt „pius", pietas";
3. de religione ac superstitione apud Vergilium;
4. quatenus de hisce rebus inter se differant Lucretius et Vergilius;
5. de ratione, quae intercedat ad has res Vergilio cum Stoicis.

1. De voce, quae est „impius".

(*a*). Scriptum legitur G. I 511: „saevit toto Mars impius orbe", ubi verbum, quod est „Mars", metonymice usurpari pro bello (ut A. II 335, VI 165, VII 550 aliis) perspicuum est. Quibusnam de bellis hoc loco cogitaverit, statui opus non est; hoc autem Vergilii temporibus gesta esse multa ac magna bella, inter quae nomino bellum Sociale, bellum civile inter Marium et Sullam, bella a Lepido, a Sertorio, a Spartaco, a Catilina, a I. Caesare, a triumviris gesta, nec non commemoranda sunt bellum navale contra Sextum Pompeium atque bellum inter Antonium et Octavianum, quod Antonio ab Octaviano Actii victo et superato confectum est; potissimum illud certamen inter Antonium et Octavianum commissum effecit ut cives Romani undique in duas partes dividerentur armisque captis inter se pugnarent. Recte igitur ad hunc locum adnotavit vir doctus Conington: „*impius* is emphatic; most of the wars of

the time were connected directly or indirectly with the civil conflict". Impia esse bella civilia dicit poeta cum eorum causam existimet esse periurium, quemadmodum colligi potest ex illis: „Laomedonteae luimus *periuria* Troiae" (vs. 502) et „*vicinae ruptis* inter se *legibus* urbes" (vs. 510). Foedera enim inter civitates vicinas icta, quorum testes invocantur dii, violantur ac rumpuntur, qua de causa homines faciunt periurium ideoque a diis puniuntur. Ex eo igitur quod homines neglegunt et contemnunt deos patrios (vs. 498) sequitur ut inter se confundantur „fas" et „nefas", sicut apparet ex verbis: „fas versum atque nefas" (vs. 505), i. e., nisi fallor, fas in nefas atque nefas in fas versum; ut fiant „multae scelerum facies" (vs. 506), quo loco vocem, quae est „facies", idem sonare atque „genera" etiam ex V 822, VI 104 aliis apparet; ut omnia vastentur, quoniam „squalent abductis arva colonis" (vs. 507), i. e. agri non culti sed neglecti vastationi deduntur. Neque parvi est momenti in fine huiusce libri inveniri verba: „neque audit currus habenas", quibus verbis indicare videtur poeta, ut quadrigae non amplius habenis coerceantur, ita homines diis contemptis eorumque praeceptis neglectis delirare[1]), peierare, furere ita ut non cohibeantur atque videatur esse „saeclum eversum" (vs. 500) i. e. civitas eversa[2]).

Eandem ob causam invenimus A. I 294 „Furor impius", quoniam sermo est de bellis civilibus[3]). A. XII 31 dicit Latinus Turno: „promissum eripui genero, arma impia sumpsi", cum contra deorum voluntatem se egisse sciat, nam

1) Cf. Horat. Epist. I 2, 14: „quidquid delirant reges, plectuntur Achivi".

2) Liv. XXX 16, 6: „veniam civitati petebant civium temeritate bis iam eversae".

3) Serv. ad l.: „Furor impius intus ut superius diximus propter bella civilia".

„me natam nulli veterum sociare procorum
„fas erat, idque omnes divique hominesque canebant";
(vss. 27, 28)

nihilominus „vincla omnia rupit" (vs. 30), neque fidem Æneae datam praestitit. Non solum in hac vita, verum etiam post mortem poenas subeunt, qui arma impia sumpserunt, quemadmodum legimus A. VI 612—14: „quique arma secuti Impia... Inclusi poenam exspectant"; nec non impius dicitur locus, ubi post mortem sunt tales homines, ut apparet ex A. V 733: „impia Tartara"[1]) (cf. VI 543).

A. II 163 Diomedi epitheton, quod est „impius", tribuitur, quippe qui parvi fecerit res divinas atque una cum Ulixe „virgineas ausi (us sit) divae contingere vittas". Cf. praeterea I 349.

Cur G. II 537 „impia" vocetur gens, quae „caesis... est epulata iuvencis", apparet ex iis quae Servius tradit: „Arati[2]) est hoc, qui dicit, quod maiores bovem comesse nefas putabant". Concedimus fortasse dici posse voci, quae est „impia", hoc loco inesse crudelitatis notionem, praesertim cum loci apud Aratum laudati locutionem, quae est *„ὀλοώτεροι ἄνδρες"*, intueamur, sed e locutione: *„κακόεργον μάχαιραν"* atque ex iis, quae invenimus apud Cic. de nat. deor. II § 63: „tanta putabatur utilitas percipi ex bubus, ut eorum visceribus vesci *scelus* haberetur", qua in re tenendum est bovem si quis occidisset eum antiquos capite sanxisse[3]), effici potest vocabulum, quod est „impia",

1) Servius: „impia Tartara ubi puniuntur impii".

2) Arati Phaen. 132:

„Χαλκείη γενεὴ προτέρων ὀλοώτεροι ἄνδρες
„Οἳ πρῶτοι κακόεργον ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν
„Εἰνοδίην, πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων."

3) Cf. Varro. de re rust. II 5, 4: „ab hoc (sc. bove) antiqui manus ita abstineri voluerunt, ut capite sanxerint, si quis occidisset".

hic non tam spectare ad crudelitatem quam ad id quod nefarium vocatur. Luculentissime haec notio patet ubi, ratione Caesaris interfecti habita, scriptum legitur G. I 468: „impiaque aeternam timuerunt saecula noctem".

(*b*). Iam supra ad A. XII 31 vidimus verbo, quod est „impius", indicari *perfidiae* notionem. Haec verbi vis potissimum elucet ex A. IV 596: „nunc te facta impia[1]) tangunt?" Nihil interest utrum cum viris doctis Wagnero, Forbigero, aliis haec verba ad Ænean an cum Heynio, Conington ad Didonem esse referenda censeamus (quamquam opinionem a viro docto Conington prolatam melius se habere confiteor), quoniam utroque modo est perfidiae notio, de qua hic agitur. Eadem ratione vocabuli, quod est „impius", vis est „perfidus" A. IV 496: „thalamo quae fixa reliquit impius," neque ulla est causa cur hunc locum cum Servio interpretemur: „impius qui gladium reliquit furenti". Perfidiae notioni inest *mentiendi ac decipiendi notio*, quae invenitur A. IV 298, ubi Fama nominatur „impia", cum haec „dea foeda" (vs. 195) sit „tam ficti pravique tenax quam nuntia veri" (vs. 188) atque „pariter facta atque infecta" canat.

(*c*). Ec. I 70: „Impius haec tam culta novalia miles habebit?" Hoc loco impius est miles non solum quod bellis civilibus interfuerat ideoque impia arma sumpserat, ut ex verbo, quod est „discordia" (vs. 71), colligendum est[2]), sed etiam quod *incuriosus* ac *neglegens* est. Is enim

1) Nullum est dubium quin hoc loco non vocabulum, quod est „fata", sed verbum „facta", quod omnes fere optimi codices praebent, legenda sit, quoniam vere commemorat vir doctus Wagnerus: „*fato* quum saepissime crudelitas, saevitia, et quid non his simile, tribuatur, numquam tamen impietas. Nam quod Seneca trag. Oedip. vs. 1046 dicit „fata superavi impia", recte explicatur „plura impie feci, quam fatale erat".

2) De hoc loco audiatur Servius: „iratus Meliboeus impios milites dicit,

qui propter bella res vastare, neque curare solitus est, „tam culta novalia" negleget, quam ob causam versu 71 quaeritur: „barbarus has segetes?" Hic referre licet ad carmen, quod inscribitur „Dirae"[1]). Quod carmen quamvis Vergilio adscribi non possit, tamen in eo sermo est de iisdem rebus quae in hac ecloga tractantur[2]). In illo carmine legimus vs. 31: „militis impia cum succedet dextera ferro"[3]), ubi ob locutionem, quae est „impia... dextera ferro", de vastatione cogitaveris. Nec negari potest militem impium esse *durum*, *crudelem*, ita ut in illo carmine ipsa „pertica" illius militis vocetur impia (vs. 45).

Pygmalion quoque A. I 349 impius esse dicitur non solum quod is, qui fuit „scelere ante alios immanior omnis" (vs. 347), Sychaeum ante aras interfecerat, sed etiam quod illo facinore se duri crudelisque animi fuisse ostenderat.

(*d*). Denique impii homines apud Vergilium videntur esse ii qui omnia *sui commodi causa* faciunt sicut, nisi

---

seu quod agrum suum teneant, seu quod civile gesserint bellum... quia bella civilia gessit et desiderat... nam miles portando arma et vincendo alios pietatem praetermittit."

1) Ante annum MDCCXCII carmina, quibus nunc sunt tituli „Dirae" et »Lydia", unum carmen habebantur; eo anno tamen vir doctus F. Jacobs demonstravit hoc unum carmen dividendum esse in duo carmina, quorum alterum sc. Dirae ad vs. 103 finem habeat, alterum sc. Lydia inde initium ducat. Rem ita se habere inter omnes fere viros doctos constat. Cf. Schansz o. l. § 99.

2) Cf. F. Skutsch, Aus Vergils Frühzeit (Lips. 1901) p. 22: „Dirae und Lydia, von denen erstere deutlich auf das Jahr 41 hinweisen, lassen idyllischen Elementen breiten Raum." Videas praeterea Schanz l. l.; J. W. Mackail, Lectures on Poetry (Lond. 1911) p. 49: „the Dirae consists of two hexameter pastorals, in the manner and attributable to about the date of Virgil's Eclogues."

3) Edit. Vollmer.

fallor, in Pygmalione apparet. Hic enim „auri caecus amore" (vs. 349) Sychaeum occidit hanc solam ob causam ut potestatem suam amplificaret. Haec res vitiosa ac perniciosa — dico homines omnia ad suam utilitatem referre — Vergilii temporibus vigebat; cives Romani tunc non iam, ut antea, quaerebant quid rei publicae utilitati sed quid sibimet fructui esset; pietas erga rem publicam, erga patriam, illa vetus Romana virtus defuit; ipsi exercitus non iam Romani populi esse dicebantur, sed Sullani, Pompeiani, Octaviani[1]). Eximio modo hanc rem describit poeta hisce versibus:

„Sollicitant alii remis freta caeca ruuntque
„in ferrum, penetrant aulas et limina regum;
„hic petit excidiis urbem miserosque penates,
„ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro;
„condit opes alius defossoque incubat auro;
„hic stupet attonitus rostris; hunc plausus hiantem
„per cuneos (geminatus enim plebisque patrumque)
„corripuit, gaudent perfusi sanguine fratrum,
„exilioque domos et dulcia limina mutant
„atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem"[2]).

Ipsa vox, quae est „impietas", apud Vergilium non reperitur, sed ex iis, quae supra sunt dicta, manifestum erit apud poetam impietatis hoc esse praecipuum, quod homines contemnunt deos eorumque praecepta neglegunt,

---

1) Cf. Fowler o. l. p. 411: „So entirely had the individual emancipated himself from the State, that he had almost forgotten that the State existed and claimed his *pietas;* he worked and played for his own ends. Even the armies of that melancholy age were known and thought of, not as the servants of the State, but as Sullani, Pompeiani, and so on. This almost arrogant self-assertion of the individual was a fact of the time, and could not be suppressed entirely; it was henceforward impossible to return to the old times when the State was all and the individual counted for little."

2) G. II vss. 503—12.

unde exoritur vitiosa illa ac flagitiosa vita, cuius sunt scelesta et nefaria facinora, saevitia, animi duritia, perfidia, amor sui non patriae, aliae eiusmodi res.

2. De verbis, quae sunt „pius", „pietas".

Modo iam dixi vocabulum, quod est „impietas", apud Vergilium omnino non occurrere; iam addo vocem, quae est „impius", tantum quater decies inveniri, sed verbum, quod est „pietas", bis et vicies et adiectivum „pius" reperiri undequadragies; quae res notanda est ratione habita illorum temporum, quibus omnia divina humanaque iura permiscebantur atque vetus illa Romani populi pietas obterebatur. Porro si memoria tenemus Augustum imperatorem emendandis et corrigendis rebus divinis id egisse, ut cives Romani, propter bella civilia atque res externas a maiorum institutis moribusque degenerati, reverterentur ad veterem illam Romani populi religionem, nullum est dubium quin maximi fuerit momenti, quod Vergilius carmine epico cives suos commonefaceret pietate ac religione Romanam civitatem factam esse amplam et potentem [1]).

Invenimus haec verba, quae sunt „pius" ac „pietas", apud Vergilium usurpari cum de diis tum de hominibus, nec vocem, quae est „pius", Æneae esse constans appositum ignotum est. Sed iam transeamus ad investigandum quaenam notiones iis verbis sint subiectae.

1) Cf. de hac re Cic. de harusp. resp. § 19: „nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Poenos, nec artibus Graecos, nec denique hoc ipso huius gentis ac terrae domestico nativoque sensu Italos ipsos ac Latinos, sed pietate ac religione atque hac una sapientia, quod deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus."

(α). Quod ad deos attinet. (*a*). Scriptum legitur A. II 536: „di, si qua est caelo pietas, quae talia curet", quae verba Priamus senex, cum coram ipso filius Polites interficeretur a Pyrrho, exclamavit. Vocem, quae est „caelo", legi pro diis notum est nec opus est explicatione. Quod attinet ad verba, quae sunt „si qua est", iniuria mihi videtur Servius putare haec dici „secundum Epicureos", quoniam haec locutio saepissime usurpatur in obtestationibus et precationibus. Maioris autem momenti nobis est quaerere, quid poeta significaverit pietatis voce, quam diis tribuit. Quod ut statuamus tenendae sunt duae hae res: 1°. filium coram patre suo interfici [1]); 2°. hoc fieri ad aras [2]). Illud facinus igitur crudele est, quod ad patrem, atque nefarium et scelestum ratione deorum habita; quare exspectat Priamus fore ut dii ipsius misereantur atque promant exerceantque iustitiam, quae posterior res imprimis apparet ex iis quae precatur: „pro scelere ... pro talibus ausis (i. e. nefariis conatibus) ... praemia reddant Debita." Recte igitur Servius vocem, quae est „curet", vocabulo „ulciscatur" interpretatur. Hisce rebus ducti pietatem hoc loco cum ad deorum *misericordiam* tum ad *iustitiam* spectare censendum esse putamus. Eodem modo cum Dido, infelix uxor, in Æneae, viri perfidi, caput exsecrans dicit: „si quid pia numina possunt" (IV 382), pia numina sunt dii, qui adhibent in hominum fortunis misericordiam atque iustitiam exercent.

Alia est quaestio utrum ad A. V 688 ubi scriptum legitur: „si quid pietas antiqua labores Respicit humanos," de miseratione an de iustitia an de utraque re cogitandum sit [3]).

1) Cf. vss. 538—9.

2) Cf. vss. 550—1.

3) Quin pietas hoc loco referenda sit ad Iovem nullum dubium est. Iniuria igitur Servius de hominum pietate videtur cogitavisse.

Quam magna calamitate afflictus quibusque in rebus difficillimis versatus Æneas tunc temporis invocaverit Iovem, si memoria tenemus, omnino facere possumus cum viro docto Heynio ad hunc locum adnotante: „pietas h. l. miseratio qua miserias humanas numen respicit", neque cum Ladewigio-Schapero, aliis dicentibus: „die göttliche Gerechtigkeit heisst hier *antiqua*, insofern sie eine uralte Satzung der göttlichen Weltordnung ist". Haec enim interpretatio vocis, quae est „antiqua", mihi videtur altius petita esse; nam minime veri est simile Ænean in illis rebus perdifficilibus versatum de illa lege mundi divina cogitavisse, sed multo potius recordatum esse quo modo se et socios annis praeteritis adiuvisset Iuppiter. Optimo iure igitur vir doctus Conington admonet eorum quae in Sacris Scripturis legimus e. g. Ps. LXXXIX, vs. 50 [1]): אַיֵּה חֲסָדֶיךָ הָרִאשֹׁנִים אֲדֹנָי, quae verba illi viri Septuaginta, qui dicuntur, ita vertunt: *τὰ ἐλέη σου τὰ ἀρχαῖα*. Eandem ob causam Servii interpretationem: „aut certe, quod est melius, si vel respicit res humanas pietas, quae de terris olim recessit", non esse probandam censemus. Porro ad hunc locum cogitandum esse de miseratione neque de iustitia probant ea quae legimus vss. 726—7: „qui (sc. Iuppiter) classibus ignem Depulit et caelo tandem *miseratus* ab alto *est*".

Quod dii hominum fortunas laboresque miserantur, de eo conferas etiam A. IV 693, VI 56, X 686, 758 alios, atque deorum propriam esse iustitiam apud Vergilium — ne plures afferamus locos — facile concludi potest ex illo clarissimo versu: „discite iustitiam moniti et non temnere divos" (A. VI 620).

(*b*). Aliam significationem invenimus inesse voci, quae

---

1) Cf. praeterea Ies. LI, 9; LXIII, 16b.

est „pius", A. III 75: „quam pius Arquitenens oras e. q. s." Hoc loco autem prius statuendum est utrum vocabulum „pius" an vox „prius", quam nonnulli inferiores codices, Serv. Dan. praebent, quamque vir doctus Bentleius recepit, legenda sit. Vocem, quae est „pius", anteponendam esse censemus non solum cum nulla sit causa, cur lectio plurimorum codicum reicienda sit, quae etiam ap. Sil. V 177 invenitur, sed etiam quod vocabulum „prius" abundat, cum iam ex verbo „revinxit" appareat insulam prius in mari erravisse. Pius hic vocatur Apollo, quia patriam stabilivit errantem, quo facto se ostendit *grati animi* fuisse erga insulam, in qua natus erat quaeque matri suae a Pythone Iunonis iussu persecutae fuerat refugio [1]).

(*c*). Restat ut pauca verba de XII 839 dicamus, ubi legimus:

„hinc genus Ausonio mixtum quod sanguine surget
„supra homines, supra ire deos *pietate* videbis."

Cum hoc loco homines et dii inter se comparentur, manifestum est ei verbo non inesse reverentiae notionem, quae tantum ad homines spectaret, neque pietate indicari misericordiam (quamquam id fieri posse, sed veri non esse simile concedimus), sed iustitiam significari, praesertim cum hic de gente sit sermo, quam ob causam mihi convenit cum viro docto Forbigero, vocem „pietate" interpretante hac ratione: „iusti rectique religiosa observantia, per pietatem declarari solita, etiam in diis." Porro locutionem, quae est „supra ire deos pietate", nec ad litteras esse intellegendam nec nimis premendam iam recte monuit vir doctus Heynius, cuius opinionem firmavit Wagnerus, revocans ad Cat. XLI, 1 ss., Sil. I 611, VI 123

---

1) Cf. Serv. Dan. Vid. praeterea Heyn. ad. loc.

alios, quare interpretatio viri docti Gossravi[1]) haec: „hi observantiores erunt deorum, quam ii Romanorum curam habent," prorsus reicienda esse mihi videtur, quippe quae ab Æneidos rationibus omnino abhorreat; nec minus erravisse videtur vir doctus MacInnesius dicens: „while his (sc. Vergilii) gods live on a higher ethical plane than the Homeric gods, yet they do not reach the level of goodness presented by philosophers in the picture of the *sapiens:* as Jup. himself allows (12. 839), the Romans surpassed even the gods in goodness" [2]).

Ut brevi complectamur ea, quae de pietate in diis supra invenimus, numen divinum esse misericors, iustum, gratum censuisse poeta videtur.

(β). Q u o d a d h o m i n e s a t t i n e t. (α) Quis est quin sciat esse *pium* Ænean, qui deos *veneratur* ac *veretur*, qui est „insignis pietate" (I 10), „quo iustior alter nec pietate fuit" (I 545), qui est „pietate prior" (XI 292)? Lares semper secum habet, quos precatur cum mane expergiscitur (V 743 ss.); bene accurateque scit religionis praecepta neque ipsis in rebus difficillimis et periculosissimis versans obliviscitur quae se facere oporteat. Eo enim tempore cum in media flamma, urbem Troiam consumente, studet Lares familiamque suam ex incendio servare, non vult tangere „sacra patriosque penates" (II 717), nam

„me bello e tanto digressum et caede recenti
„attrectare nefas, donec me flumine vivo
„abluero" (vss. 718—20).

Semper fere intentus est oraculis, prodigiis omnibusque

1) Cf. Conington ad loc.

2) „The Conception of Fata in the Æneid". (Class. Rev. XXIV, 1910, p. 169).

signis, quibus cognosci possit deorum numen; callet enim pius homo artem divinandi. Omnino diis est in manu atque semper ad deos oculos suos allevat. „The result", dicit vir doctus Gloverus, „of Æneas' subjection to heaven, and his consequent suppression of feeling, is that he has lost the air of life. He has not enough freedom of will. There are indeed such people to be met with in the world, but they rarely interest us." Notatu vero digna sunt ea quae postea ad hunc locum adnotavit: „and yet after ten years more of life — I will not attempt autobiography, but Æneas seems a more intelligible and sympathetic character" [1]). Prima persona huiusce carminis epici est pius Æneas, sed Turnum ac Mezentium, illum *contemptorem divom*, fretum dextra ac telo quasi essent

1) Cf. o. l. p. 211. Hic non possum non addere ea quae de hac re dicit vir doctus Plüssius o. l. pp. 361—2: „dieser Held sei kein Held, erklärt man — nämlich wenn man sich erst ein Heldenmuster in Papier ausgeschnitten hat, nun dem Æneas das Mass nimmt und findet, dass das Muster für seine Figur gar nicht passe. Es wäre lehrreich, einmal genau zu erfahren, was ein Held nach unseren heutigen Heldenidealen für einen Brustumfang mit stolzer Wölbung haben müsse, was für einen steifen Nacken und was für Beine zum Weitschritt er nötig habe. Das römische Volk zur Zeit Vergils hat, wie es scheint, andre Vorstellungen vom einem Helden gehabt, vielleicht, weil es selber damals keine Freude daran hatte, sich in die Brust zu werfen, den Nacken steif zu halten und die Beine heroisch zu spreizen. Auch hatte es von der Übermacht des Schicksals damals zuviel erfahren (unendlich mehr, als wir Kritiker gewöhnlich davon erfahren), um an die Selbstgenügsamkeit menschlichen Willens und den Erfolg menschlichen Handelns auch nur ästhetisch zu glauben; nach den Lebenserfahrungen der damaligen Generation hätte ein Held, welcher mit edlem Willen und starker Kraft nach einem fernen Ziele steuerte, ohne vom Schicksal besonders berufen zu sein und ohne vom Schicksal immer wieder für seinen Beruf aus den Wassern errettet zu werden, am Widerstande der dumpfen Welt scheitern und tragisch untergehen müssen. Also ein Drama, eine Tragödie wäre dann die Æneide geworden."

dii (X 773—4), ita delineavit poeta ut eos quoque admiremur; „Mezence", iure inquit vir doctus Chateaubriandius, „est le seul qui soit fièrement dessiné" [1]). Quidnam ea re spectare potuit Vergilius? Ab altera parte pietas laudatur, impietas quamvis non laudetur (hoc a poeta procul afuit), tamen propria est Turni ac Mezentii, virorum fortium et animosorum, altera ex parte. Quem finem poeta secutus sit, mihi videtur vir doctus Boissier recte indicavisse hisce verbis: „le poëte ne l'a peut-être pas fait sans dessein: il n'était pas mauvais, pour qu'on vît mieux la main des dieux dans les événements, que celle de l'homme n'y fût pas trop apparente, et la médiocrité générale des vainqueurs rendait plus éclatant le triomphe de la volonté divine" [2]).

1) Cf. G. Boissier o. l. p. 247.

2) Ibidem. Operae pretium est de hac re audire virum doctum Sellarum o. l. pp. 404—5: „The vigorous sketch of Mezentius, as he appears in Book X, has received from some critics more admiration than the sustained delineation of Turnus through all the vicissitudes of feeling and fortune through which he passes. Chateaubriand says, that this figure is the only one in the Æneid that is „fièrement dessiné". Landor describes him as „the hero transcendently above all others in the Æneid". And there is certainly a vague grandeur of outline in this conception of the „contemptor divom" and oppressor of his people, who is „not only the most passionate in his grief for Lausus, but likewise gives way to manly sorrow for the mute companion of his warfare", indicative of a bolder invention than that which is usually ascribed to Virgil. It is remarkable that poets whose spirit is mostly religious, — both in the strength of conviction and the limitation of sympathy produced by the religious spirit — Aeschylus, Virgil and Milton — seem to be moved to their most energetic creativeness by the idea of antagonism to the supreme will on the part of a human, or superhuman but limited will: and that they cannot help raising in their readers a glow of admiration as well as a sense of awe in their embodiment of this clash between finite and infinite power. The sketch of Mezentius cannot indeed be compared with two of the most daring conceptions and perfected creations of human genius, — the Prometheus of Æschylus and the Satan of Milton, — yet, if it does not enlist our ethical sympathies like the former of these, like the second it receives the tribute of that involuntary admiration, which is given to courage, even when allied with moral evil, so long as it is not absolutely divorced from the capability of sympathetic and elevated emotion".

(*b*). Si quis deos venerabitur ac verebitur, eorum voluntati, quatenus eam cognoverit, *obtemperare* conabitur. Hanc oboedientiam Æneae nemo est quin in legenda Æneide perspiciat; una res, saepius aliis verbis imaginibusque repetita, est quae carminis initio iam invenitur A I 205 ss:

„per varios casus, per tot discrimina rerum
„tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
„ostendunt."

Distinctis autem verbis si hanc rem necesse est indicemus, audiatur IV 396: „iussa tamen divom exsequitur (sc. pius Æneas vs. 393) classemque revisit," atque — ne adferamus plura — recordare ut pius Æneas Iovis imperio [1]) ad inferos descenderit, quamvis terroribus non vacaverit ille descensus.

(*c*). Voci, quae est „pietas", apud Vergilium inesse *amorem patriae*, quo ductos homines non commodis modo sed omnibus suis rebus bonum publicum anteferre oporteat, negari non potest. Facere non possumus quin dicamus poetam hanc rem eximio modo designavisse illo Æneidos libro quarto, qui fortasse omnium ab antiquis librorum scriptorum non solum plurimum perlectus est, maximam movit admirationem, sed etiam improbatus ac vituperatus est, cum poeta Ænean, qui primarias epici carminis partes agit, ita descripserit, ut eum ne dicam contemnamus et despiciamus — sed non iam admiremur. Itaque, si quis poetam in eo libro solam rem amatoriam delineare in animo habuisse putabit, necesse erit censeat eum librum

1) Cf. A. V 724 ss., 747.

in totius operis rationes non bene quadrare; qui autem meminerit eorum, quae poeta dicit A I 33: „tantae molis erat Romanam condere gentem," atque hanc rem in libro quarto legendo perpetuo memoria tenebit, intelleget poetam id egisse ut ostenderet, quam magna difficilisque certatio esset inter duas has res, quae sunt amor sui et amor patriae, a diis praeceptus; ut designaret quam vehementer in animo Æneae eae res pugnarent. Hanc rem breviter exponere operae pretium est. Postquam Iove imperante Mercurius Ænean reprehendit hoc modo: „pulchramque uxorius urbem Exstruis?" (vs. 266) et „teris otia?" (vs. 271), scriptum legitur „Æneas aspectu obmutuit amens Arrectaeque horrore comae et vox faucibus haesit" (vs. 280). Dubitat Æneas,

„atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc
„in partisque rapit varias perque omnia versat,"
(vss. 285—6)

dum alii omnes „imperio laeti parent ac iussa facessunt" (vs. 295).

Dido rem male se habere animadvertit, nam „quis fallere possit amantem?" (vs. 296), atque in Ænean vehementer invehitur, quem perfidum esse dicit. Immotus manet: „ille Iovis monitis immota tenebat Lumina" (vs. 331), quamvis in animo perdifficilis sit pugna, ut dilucide apparet ex hisce verbis: „obnixus curam sub corde premebat" (vs. 332); nihilominus dicit: „desine meque tuis incendere teque querellis; Italiam non sponte sequor" (vss. 360—1), nam „*hic amor, haec patria est*" (vs. 346). Denique „multa gemens magnoque animum labefactus amore Iussa tamen divom exsequitur" (vss. 395—6). Res finem habet; victor est Æneas atque *pius;* „interea medium Æneas iam classe tenebat *Certus* iter" (V 1—2). Hinc oritur quaestio, qua ratione Æneas cum pius tum perfidus esse dicatur, quod

fieri non potest, cum duae hae notiones prorsus inter se discrepent, ita ut „homo perfidus" sit „homo impius", quem ad modum iam supra (p. 27) vidimus. Si rem Didonis quasi oculis videremus, optimo iure Æneas perfidus diceretur esse nec quisquam est, quem hanc fabulam legentem non magis Didonis quam Æneae misereat; tantum in memoriam revocamus Augustini verba illa: „cogebar... plorare Didonem mortuam, quia se occidit ab amore" [1]). Negari non potest verba, quae sunt „perfidus", „impia facta" [2]), (vs. 596) „impius", (vs. 496) a Didone, uxore contempta contumelioseque tractata, esse dicta, nec non facile est rem, de qua disceptatur, solvere conari affirmando ea, quae a Didone sunt dicta, ad poetae ipsius sententiam non pertinere. Libenter concedimus, ut apud tragicos poetas omnia, quae dramatis personae, ab iis in scaenam inductae, loquantur, dici non possunt exprimere ea, quae ipsi poetae senserint, — in animo habeo (ut exempla proferam) ea, quae a Prometheo, a Clytaemestra, ab Ægistho sunt dicta — sic Vergilius quid ipse senserit ex verbis a Turno, a Mezentio, „contemptore divom", dictis effici non posse. Nihilominus censemus Vergilium hoc libro Ænean perfidum describere voluisse, sed perfidum ad deos quod attinet, non ratione Didonis habita [3]).

Illa vero perfidia hominis pii non est propria, sed est

1) Cf. Conf. I 13, 20.

2) Cf. supra o. h. p. 27 adn. 1.

3) Mihi omnino convenit cum viro docto Glovero dicente o. l. p. 203: „we must remember that at that period marriage and love were terms which did not suggest each other... The Roman feeling is sufficiently revealed by the difficulty felt by Catullus (LXXII 3, 4) in expressing his love for Lesbia. He wishes to describe a love pure of all selfish elements, and he says that he loved her, not as a man would love a mistress, but as a father would his sons and sons-in-law."

Æneae, quem magis magisque „per varios casus, per tot discrimina rerum" accedere ad speciem et formam boni viri Romani designare voluisse Vergilium, viri docti Heinzius [1]), Fowlerus [2]) iure demonstraverunt. Æneas enim hic laborum suscipiendorum initio fatorum obliviscitur et hanc ob causam, quae pro patria sibi sunt facienda, neglegit; sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, quae res ad pietatem non pertinet. Notatu igitur dignissimum est libro quarto Ænean a poeta tantum semel dici esse *pium*, et quidem versu trecentesimo nonagesimo quarto, ubi ille resistit amori rerum suarum: „multa gemens magnoque animum labefactus amore" (vs. 395), atque obtemperat deorum praeceptis: „iussa tamen divom exsequitur classemque revisit"; contra Didonis amore captus [3]) eiusque donis ornatus [4]) a Mercurio, qui eum „fundantem arces ac tecta novantem Conspicit" (vs. 260), vocatur „uxorius" (vs. 266). Perfidus igitur hoc libro Æneas est quia non *ex pietate* sed *contra pietatem* egit. Contra pietatem etiam

1) Cf. o. l. p. 271 ss.

2) Cf. o. l. p. 411 ss.

3) Optimo iure virum doctum Norman Wentworth De Witt, qui in opere, cui est titulus „The Dido Episode in the Æneid of Virgil" (diss. Chicago, 1907) p. 28 dicit: „Æneas did not love Dido ... it only makes matters worse that he felt and confessed a certain affection for her", vir doctus Heinzius o. l. p. 122 adn. 1 impugnavit hisce verbis: „aber Virgil, nicht eine seiner Personen, nennt Æneas und Dido *amantes* IV 221; aus Æneas' Gedanken ist gesagt *quando optima Dido nesciat et tantos rumpi non speret amores* 291; noch in der Unterwelt redet Æneas *dulci amore* Dido an VI 455, und ich sehe keinerlei Grund, hier überall unter *amor* etwas anderes als „Liebe" ganz ernstliche Liebe zu verstehen."

4) vss. 261—3. Particulam, quae est „atque" (vs. 261), hoc loco gravem esse iure dicit vir doctus Wagnerus Quaest. Verg. XXXV, 22, ut apparet ex hisce verbis: „scilicet miratus et indignatus haec dona a Didone accepta in Ænea conspicit Mercurius.

Dido egit [1]). Haec voluntariam mortem sibi conscivit, qua re ipsa poeta, quem ad modum poetae tragici fabulis suis, effecit ut nos misereret uxoris regiae, quippe quae amorem expiaret tristi supplicio. Sed per eam misericordiam nihil aliud mihi videtur poeta egisse nisi ut efficeret id quod Aristoteles in notissima illa tragoediae definitione dicit „*τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν*" [2]); hic quoque enim rerum, quae acciderunt, ordo est „*ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν*", non vero „*διὰ μοχθηρίαν ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν μεγάλην*" et quidem eius, quae est „*ἐν μεγάλῃ δόξῃ καὶ εὐτυχίᾳ*" [3]).

Quibus omnibus perpensis et consideratis mihi videtur non satis dixisse vir doctus Heinzius hisce verbis: „eine Liebesgeschichte gehörte für Virgil einfach zum integrierenden Bestande des Epos. Kirke und Kalypso, Hypsipyle und Medea verlangten gebieterisch ein Gegenstück, sollten die Erlebnisse des Æneas nicht ärmlich zurückstehen hinter denen des Odysseus und Jason: höchster Reichtum und eine möglichst erschöpfende Ausnutzung aller epischen Motive war aber gerade Virgils Ideal" [4]). Altiora enim poeta petivit, ut iam supra diximus [5]).

1) Cf. Heinze o. l. p. 124 ss.

2) De arte poetica c. 6.

3) Cf. o. l. c. 13. Cf. de hac re E. K. Rand, Virgil and the Drama, The Class. Journal, vol. IV 1908—9, pp. 22—33, 51—61; H. H. Yeames, The Tragedy of Dido, The Class. Journ., vol. VIII 1912—13, pp. 139—150, 193—202.

4) o. l. p. 115. Cf. praeterea p. 117: „an Mustern und Vorbildern fehlte es nicht: in nichts war ja die letzte Blüte griechischer Poesie erfinderischer gewesen als im Aufspüren aller Fährnisse und Unglücksfolgen verzehrender Leidenschaft, nicht erhörter oder verratener oder verbrecherischer Liebe, die ihr Opfer durch Kummer, Scham und Verzweiflung in den Selbstmord trieb."

5) Nec immerito igitur mihi videtur vir doctus Fowlerus de Heinzii opinione dixisse o. l. p. 415: „he seems to me to leave out of account two

Nec vero omnibus ex partibus mihi convenit cum Fowlero dicente: „if for us the character of Æneas suffers by his desertion of Dido, that is simply because the poet, seized with intense pity for the injured queen, seems for once, like his own hero, to have forgotten his mission in the poem, and at the very moment when he means to show Æneas performing the noblest act of self-sacrifice, renouncing his individual passion and listening to the stern call of duty, human nature gets the better of him, and what he meant to paint as a noble act has come out on his canvas as a mean one"[1]). De misericordia poetae mentionem fieri est probandum atque ad hanc poetae naturam postea recurram, sed virum doctum censere poetam, illa natura ductum, oblitum esse eius, quod sibi hoc libro proposuerat, ob causas supra allatas concedendum non est; deinde si ipsum nobilissimnm illud Æneae facinus *nobis* turpe est (rem ita se habere vix opus est dicere), causam huiusce rei in eo esse positam putamus, quod de eiusmodi rebus nos aliter iudicamus ac

---

important considerations: first that though the poet drew freely on every available source, Greek and Roman, for the enrichment of his subject and its treatment, yet the whole design and purpose of the *Æneid* is Roman and not Greek, and the introduction of a love story *as such* would have been foreign to that design... Secondly, Heinze seems to forget, like so many others who have written about the Dido episode, that Virgil had before his very eyes facts sufficiently striking, a romance quite sufficiently appalling, to suggest the adoption of the form of the story as we have it in the fourth book. Twice in his own life-time did a single formidable woman work a baleful spell upon the destinies of the Roman empire. In neither case did the spell take fatal effect; Julius escaped in time from the wiles and the splendour of Cleopatra; Antony failed indeed to escape, but brought himself and her to fortunate ruin."

1) Cf. o. l. p. 416.

Romani illis temporibus iudicabant, neque veri est simile de hisce rebus Vergilium aliter sensisse.

Utut est, hoc videtur stare poetam hoc libro eximio modo exposuisse quonam modo hominem pium, cuius esset deorum iussis oboedire, cupiditatibus suis utilitatem communem anteponere oporteret. Sed ne de libro quarto solo disputaturus esse videar, transeo ad alios locos investigandos.

(*d*). Iam supra[1]) vidimus apud Vergilium hominem pium deos *semper precari*, sed ad hanc rem recurrere opus esse mihi videtur. Locus qui est V 685 ss.:

„tum pius Æneas humeris abscindere vestem
„auxilioque vocare deos et tendere palmas,"

cum Æneas et socii non poterant exstinguere incendium, quod naves vexabat, atque multi aliique loci demonstrant hominem pium non solum deos vereri ac venerari eorumque iussis parere, verum etiam confidere et credere deos, precibus invocatos, se adiuturos esse. Quod si ita est, Iarbae preces (A. IV 206 ss.) non esse pii hominis Vergilius videtur putavisse; Iarbas enim, quamvis Iovem dicat omnipotentem, tamen de Iovis potentia addubitare videtur (cf. vss. 208—10, 217—18). Haec sententia, quod attinet ad preces, a Vergilio prorsus aliena erat, quod ipse, nisi fallimur, indicavit verbo, quod est „dicitur" (vs. 206). Qua de causa minime sunt probanda viri docti Coningtonis haec verba: „it is difficult to see why Virg. should have weakened his narrative by introducing *dicitur;* but the love of variety was probably what tempted him." Ex A. VI 376 apparet homini pio esse persuasum deos precibus flecti non posse, neque exspectat fore ut propter

---

1) Cf. o. h. p. 34.

pietatem a se avertatur calamitas; sic enim invenimus A. II 426 ss.: „cadit et Rhipeus, iustissimus unus Qui fuit in Teucris et servantissimus aequi (Dis aliter visum) ... nec te tua plurima, Panthu, labentem pietas nec Apollinis infula texit.“ (Cf. etiam A. I 10).

(*e*). *Iustitiam ac pietatem* artissime cohaerere iam vidimus ex VI 376, supra laudato, sed dilucide patet ex A. I vs. 544—5:

„rex erat Æneas nobis, quo iustior alter
„nec pietate fuit nec bello maior et armis“.

Cum vero viri docti inter se differant, quo modo hoc loco interpungi debeat cumque haec res spectet ad rationem, quae iustitiae cum pietate intercedat, de hac re pauca verba videntur esse mihi dicenda. Ex adnotationibus, a Serv. et a Serv. Dan. huic loco adscriptis, perspicuum est post verbum, quod est „alter“, eos non interpunxisse; primus, quoad sciam, id fecit vir doctus Heynius, a. l. adnotans: „iustior pietate, ut vulgo iungi video, mihi quidem durissimum videtur. Praestat iungere et interpungere: Quo iustior, nec maior fuit pietate, bello et armis“. Hac ratione igitur Æneas dicitur esse iustus, pius, fortis. Heynium secutus Conington de verborum, quae sunt „iustior“ et „pietate“, coniunctione dicit: „a combination in itself very harsh, and moreover involving an unexampled inversion“; deinde ut particulam, quae est „neque“, sententia priore omitti posse demonstret, Gossravio duce laudat Caes. B. C. III 71: „sed in litteris, quas scribere est solitus, neque in fascibus insignia laureae praetulit“. Veterem scribendi rationem autem vir doctus Ribbeckius atque multi et alii in editiones suas receperunt neque post vocabulum, quod est „alter“, interpungunt; quae res mihi videtur anteponenda esse has ob causas:

1°. Versum si incideris, commate post vocabulum „alter“ posito, tripertita est divisio rerum, quibus insignis fuit Æneas. Quod per se fieri posse facile intellegitur, sed cum vir doctus Heynius iam laudaverit Hom. Γ 179: *βασιλεύς τ'ἀγαθὸς κρατερός τ'αἰχμητής*, quae verba in animo habuisse Vergilium veri est simile, et cum apud poetam divisio harum rerum bipartita semper fere reperiatur, quem ad modum apparet ex locis, qui sunt A. III 260, VI 403, VI 769, VII 235, VII 745 praestare mihi videtur divisionem hanc hoc quoque loco retineri: 2°. Cur coniunctio verborum, quae sunt „iustior“ et „pietate“, sit dura, non video; scriptum enim legitur apud Xenophon. Mem. IV 6, 4: „*ὁ ἄρα τὰ περὶ τοὺς θεοὺς νόμιμα εἰδὼς ὀρθῶς ἄν ἡμῖν εὐσεβὴς ὡρισμένος εἴη: Ἐμοὶ γοῦν, ἔφη, δοκεῖ*“, et § 5: „*ὀρθῶς ἄν ποτε ἄρα ὁριζοίμεθα ὁριζόμενοι δικαίους εἶναι τοὺς εἰδότας τὰ περὶ ἀνθρώπους νόμιμα*“, unde apparet *τῷ εὐσεβεῖ* cum *τῷ δικαίῳ* hoc esse commune *τὸ εἰδέναι τὰ νόμιμα*; et apud Plato. Defin. 412 e legimus: *εὐσέβεια δικαιοσύνη περὶ θεούς*; sic Posidonius quoque dicit iustitiam erga deos esse pietatem, quod idem invenitur ap. Cic. de nat. deor. I § 116: „est enim pietas iustitia adversum deos“ [1]). Stoicos ad Vergilium plurimum pertinuisse cum constare videatur, nulla causa est cur censeamus durum esse adiectivum, quod est „iustior“, cum voce, quae est „pietate“, coniungi, sed potius rem ita se optime habere putamus; 3°). Fieri potest ut vera sint ea, quae vir doctus Conington dicit: „a combination ... involving an unexampled inversion“, sed poeta mihi videtur optimo iure id fecisse, si ad verborum contextum et convenientiam respicimus; id enim Ilioneus Didonem

1) Cf. P. Barth, Die Stoa (Stuttgart, 1908²) p. 166. Videas praeterea Stob. Ecl. II 60, 9 W (Stoic. vet. Fragm.—Joan. ab Arn. Vol. III n. 264): „*τῇ δὲ δικαιοσύνῃ* (*ὑποτάττεσθαι*) *εὐσέβειαν* e. q. s.“. Cf. praeterea L. Schmidt, Die Ethik der alten Griechen, Berlin 1882, I pp. 302—307.

allocutus egit ut regina cognosceret eos, qui peterent auxilium, deos vereri (cf. vss. 526, 543, 546), quare vocem, quae est „pietas", i. e. quod species vocatur ex artis logicae praeceptis, neque vocem, quae est „iustitia", i. e. quod genus dicitur, hoc loco premendam esse facile intellegitur — unde locutio, quae est „iustior . . . pietate" [1]).

Ratione habita eius quod Nisus et Euryalus conaturi sunt, Aletes senex dicit IX 254—5: „tum cetera reddet Actutum pius Æneas", quibus e verbis facile colligi potest Ænean, quippe qui sit pius, iustitiam exerciturum esse duobus illis fortibus iuvenibus fructum, quem mereant, retribuendo; haec enim vis verbo, quod est „reddet", inest. Fortasse Æneas dicitur esse „pius" (X 591) ob ultionem, qua de Pallantis memoria promeritus sit, sicut Ruhkopfium censuisse vir doctus Wagnerus commemorat; concedo hanc sententiam non male se habere, quoniam voci, quae est „pius", subiectam esse ulciscendi notionem constat (cf. A. II 140). Quod si ita est, hoc loco cogitandum est de iustitia promenda et exercenda, quod idem ad A. II 536, supra [2]) tractatum, invenimus. Sed huic loco non nimia vis tribuenda esse mihi videtur.

(*f*). Pietatem ad *amorem parentum ac liberorum* spectare vix opus est monere. Anchises, Æneas, Ascanius κατ' ἐξοχήν sunt tres homines, qui excellunt hac re in Æneide atque veterem illam Romani populi virtutem, sc. pietatem, praeclaro modo colunt. A. III 480 Helenus

---

1) De hac tota re audiatur Servius a. l.: „*nec pietate fuit* multum interest inter iustitiam et pietatem; nam pietas pars iustitiae est, sicut severitas. nunc ergo hoc dicit, qua parte sit iustus, id est pietate. et bene duo laudat in Ænea: pietatem, quam a Didone impetrare contendit, et virtutem, quam vult timeri."

2) Cf. o. h. pp. 31—32.

Anchisen alloquitur: „o felix nati pietate", quae verba magni fuerunt momenti iis temporibus, quae Horatius dicit „fecunda culpae saecula" [1]); atque cum VI 688—9 pater exclamat: „venisti tandem, tuaque exspectata parenti Vicit iter durum pietas?" intellegimus pietate ductum maximas omnes difficultates superavisse filium. Pulcherrimo modo poeta describit illum amorem filii erga parentem hisce versibus clarissimis:

„ter conatus ibi collo bracchia circum
„ter frustra comprensa manus effugit imago
„par levibus ventis volucrique simillima somno" [2]).

Memineris, quaeso, illius terroris plenae noctis in urbe Troia, qua interiit gloria Priami „Troiam incensam et prolapsa Pergama" [3]) adspicientis, qua „cecidit superbum Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia" [4]), atque audias quam rem poeta canat hisce verbis:

„latos umeros subiectaque colla
„veste super fulvique insternor pelle leonis
„succedoque oneri; dextrae se parvus Iulus
„implicuit sequiturque patrem non passibus aequis" [5]).

---

1) Carm. III 6, 17.

2) vs. 700 ss. Ad Creusam quod attinet cf. A. II 792 ss.

3) A. II 555.

4) A. III 2 ss.

5) A. II 721 ss. Magna cum animi delectatione legi, quae de hac re scripsit vir doctus J. R. Green, Stray Studies from England and Italy, (Lond. 1904), pp. 229—30: „in the Homeric picture Achilleus sits solitary in his tent, bound as it were to the affections of earth by the one tie of his friendship to Patroclus. No figure has ever been painted by a poet's pen more terrible in the loneliness of its wrath, its sorrow, its revenge. But from one end of his song to the other Vergil has surrounded Æneas with the ties and affections of home. In the awful night with which his story opens, the loss of Creusa, the mocking embrace in which the dead wife flies from his arms,

Haec caritas, quam poeta tam bene eximieque describit, revera est pia, cum sit pura et casta, quod dici non potest de amore Æneae et Didonis, ut apparet ex verbis illis: „neque enim specie famave movetur Nec iam furtivum Dido meditatur amorem; Coniugium vocat: hoc praetexit nomine culpam" [1]).

Amor quoque inter amicos a poeta nominatur pius, si purus et castus est; haec enim vis est verbi, quod est „pio" (A. V 296), ubi Nisus dicitur esse „insignis amore pio pueri" (Euryali); quare optimo iure ad hunc locum vir doctus Conington adnotavit: „*pius* of a natural and honourable love". Vocem, quae est „pius", apud Vergilium saepissime idem fere sonare ac vocabulum, quod est „castus", patet ex locis A. III 409, VI 563, 661 VII 71; conferantur praeterea loci ad III 439, a Forbigero ex aliis scriptoribus collati.

Quis mirabitur de amore sic scripsisse eum, quem inter „candidiores animas" [2]) habebat Horatius?

---

form his farewell to Troy... Amid all the terror of the flight from the burning city the figure of his child starts out bright against the darkness, touched with a tenderness which Vergil seems to reserve for his child-pictures. But the whole escape is the escape of a family. Not merely child and wife, but father and household accompany Æneas. Life, he tells them when they bid him leave them to their fate, is worthless without them; and the „commune periclum, una salus" runs throughout all his wanderings".

1) A. IV vs. 170 ss.

2) Horat. Sat. I 5, 40 ss.:

„Plotius et Varius Sinuessae Vergiliusque
„occurrunt, animae quales neque candidiores
„terra tulit".

Audiatur praeterea Suetonius de hac re, Vita Donat. o. l. p. 3: „vulgatum est consuesse eum et cum Plotia Hieria. sed Asconius Pedianus adfirmat, ipsam postea maiorem natu narrare solitam, invitatum quidem a Vario ad communionem sui, verum pertinacissime recusasse".

(*g*). *Misericordiae* notionem voci, quae est „pietas", in diis subiectam esse iam supra vidimus. Haec res magis elucet in piis hominibus apud Vergilium nec non in prima carminis epici persona. Nec vero immerito, mea quidem sententia, vir doctus Sainte-Beuve dixit: „Virgile, comme son héros, a la piété et la pitié" [1]). Haec poetae natura misericors multis locis perspicitur, etiam cum de animalibus sermo est. Revocamus — pauca exempla ut adferam — ad versus, quibus de maerenti philomela amissos querente fetus [2]) mentio fit, quibus de animalibus peste laborantibus agitur [3]), quibus est de avibus, quae „altum nidis petiere relictis" [4]). Rem ita se habere, quod ad homines attinet, per se intellegetur. Nimirum ille animus poetae tenerior valde commovebatur, cum illis temporibus homines

---

1) C. A. Sainte-Beuve, Étude sur Virgile, p. 100.

2) G. IV 511 ss.:

„qualis populea maerens philomela sub umbra
„amissos queritur fetus, quos durus arator
„observans nido implumis detraxit; at illa
„flet noctem ramoque sedens miserabile carmen
„integrat et maestis late loca questibus implet".

3) G. III 440 ss. Conferas imprimis vs. 498 ss.:

„labitur infelix studiorum atque immemor herbae
„victor equus fontesque avertitur et pede terram
„crebra ferit; demissae aures, incertus ibidem
„sudor et ille quidem morituris frigidus, aret
„pellis et ad tactum tractanti dura resistit".

4) G. II vss. 208 ss. De hoc loco operae pretium est audire virum doctum Gloverum, qui o. l. p. 15 dicit: „the forest had to come down; the land on which it stood had been idle for years, and man required it. But while the axes swung and the trees fell, the young poet, watching, saw the havoc made of the birds' immemorial homes; he saw the scattered nests, he saw the frightened birds hovering in the air over the spot where they were to build no more; and though he hailed the cultivated field that was to be, he never forgot the sorrow of the birds."

multis variisque miseriis et calamitatibus videret afflictos atque prostratos. Ut poeta est misericors, sic in eius carminibus pii homines ac potissimum pius Æneas misericordem se praebet vel in hostem, quam rem ad illustrandam eligimus quae leguntur X vss. 815—830. Mezentius, *contemptor divom*, contra Ænean in certamen „vastis armis" descendit; iam in eo erat ut ille in potestate huius esset cum Lausus, Mezentii filius, acriter ac fortiter dimicans, patrem suum morte liberabat (vss. 796—802); „furit Æneas" (vs. 802), quod intellegitur, atque, occasione oblata, „validum exigit ensem Per medium Æneas iuvenem totumque recondit". Sed pergit poeta hoc modo:

„at vero ut voltum vidit morientis et ora,
„ora modis Anchisiades pallentia miris
„ingemuit miserans graviter dextramque tetendit
„et mentem patriae strinxit pietatis imago."

Notatu dignissimum est a poeta hoc loco verbum, quod est „Anchisiades", usurpari; uno enim hoc verbo poeta id effecit, ut Æneas non hostis, sed ut pater, Lausum morientem non hostem, sed ut filium, miserari ac dolere videretur. Misericordia ac pietas apud Vergilium secerni non possunt. Æneas pugnare, immo vero fortiter pugnare potest, sed voluptati, proprie dictae, ei bellum non est; pugnat atque dimicat quia eum id facere oportet [1]), sed

1) Cf. G. Boissier o. l. p. 241: „cet homme qu'on précipite dans des combats furieux est un ami décidé de la paix; ce coureur d'aventures adore le repos. A chaque pas qu'il fait dans sa course errante, il espère être arrivé au terme, il veut s'arrêter et s'établir. Il faut que les dieux le chassent sans cesse par des oracles menaçants, par des apparitions, par des maladies, et il a les larmes aux yeux quand il reprend son voyage vers cette Italie „qui fuit toujours devant lui" .... On voit qu'il ne se résigne qu'avec la plus grande peine à devenir un héros; une vie modeste et calme lui conviendrait mieux que toutes ces grandes aventures que le sort lui prepare. Il a reçu du ciel une mission qui lui pèse."

qualis sit animus cognoscitur e verbis, quibus Pallantem valere iubet:

„nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli
„fata vocant" [1]).

Homo pius duri animi non est neque eum decet fieri crudelem. Rectissime vir doctus Saint-Beuve verba: „cetera parce, puer, bello" (IX 656), interpretatus est hac ratione: „c'est à la fois menagement et respect pour le fils de leur roi et pour l'espérance de la tige: *si jeune, on devient trop aisément cruel*" [2]), quae postrema verba rem acu tetigerunt.

Sed ut ea, quae de hac re sunt dicta, concludamus, licet hic adferre verba viri docti Gloveri, qui, si memoria tenemus, quo sensu vocem, de qua agitur, etiam diis Vergilius tribuat, videtur non inepte scripsisse: „if to Terence's *humani nihil a me alienum puto* we might add *nihil divini*, the enlarged expression (if rather cumbrous) would very fairly represent that new attitude of the quickened man, with which Vergil endows his hero, giving it the name *pietas*, by which he links a modern and rather Greek habit of mind to an old Roman virtue, enlarging the one, and naturalizing the other" [3]).

Hactenus igitur invenimus tantum abesse, ut pietas apud Vergilium non significet nisi „iustitiam erga parentes", quem ad modum apud Cic. de inv. II § 66 definitur haec vox, ut multo potius huiusce rei vis et natura sit deos vereri ac venerari eorumque praeceptis oboedire, i. e. „iustitia adversum deos" [4]); quam rem si quis colet, ei curae erunt

1) XI 96 ss.
2) o. l. p. 178.
3) o. l. p. 226.
4) de nat. deor. I § 116.

omnia, quae facienda sunt in patriam, in familiam, in alios homines, ita ut vitam honestam et sanctam agat.

Ex hisce rebus, quae sunt dictae, coniciendum iam est apud Vergilium nullum discrimen, proprie dictum, esse inter pietatem ac religionem, quod attinet ad rationem, quae hominibus cum diis intercedit, quoniam religio quoque secundum Ciceronem est „iustitia erga deos" [1]), neque aliud enucleari potest ex hisce verbis Ciceronianis: „piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis: nec inussu eius a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum adsignatum a deo defugisse videamini" [2]). Nihilominus operae pretium esse mihi videtur accuratius et diligentius inquirere, quid sibi velit apud Vergilium *religio*, qua in re tractanda de *superstitione* quoque agendum esse patet. Itaque iam transeamus ad tertiam huiusce capitis partem.

3. De religione ac superstitione apud Vergilium.

(*a*). Scriptum legitur A. III 362: „namque omnem cursum mihi prospera dixit Religio". Recte Servius adnotavit hoc loco figuram, quae dicitur hypallage, usurpari. Nulla igitur est causa, cur cum viro docto Ribbeckio censeamus vocem, quae est „omnis", legendam esse pro vocabulo, quod est „omnem", quae lectio in plurimis codicibus invenitur quamque iure defendit Conington [1]). Quid significet religionis vox ex verborum textu (ut aiunt) satis apparet; Æneas hoc loco adloquitur „interpretem divom", atque varii enumerantur modi, quibus deorum voluntas cognosci possit: 1°. per divinationem naturalem i. e. per inspirationem, ut ita dicam, cuius sunt ea, quae leguntur: „qui numina Phoebi, . . . tripodas, Clarii laurus . . . sentis"; 2°. per divinationem artificiosam, i. e. per signa, quae hoc loco sunt „sidera", „volucrum linguae", „praepetis omina pinnae" [2]). Religio igitur hic spectat ad *oracula* et *vaticinia*, quae omnia pius Æneas diligenter observaverat, neque hinc colligendum non est, quonam modo deorum voluntati oboediendum esse existimet homo pius.

(*b*). Vocem, quae est „religio", A. II 188: „neu populum antiqua sub religione tueri", significare deorum cultum ac venerationem manifestum est. Religio antiqua esse dicitur, quoniam sermo est de ea, qua antea Palladium surreptum Troiani coluerant. Immerito mihi videtur vir doctus

1) Part. orat. § 78. Cur religio dicatur esse iustitia optime mihi videtur vir doctus G. Wissowa, Religion u. Kultus der Römer (München, 1912²), p. 380 exposuisse: „er (sc. Gottesdienst) erhält seine bestimmte Gestaltung durch eine lange Reihe von Einzelfestsetzungen, indem der Staat oder der einzelne in rechtsverbindlicher Form Verpflichtungen zu einmaligen oder wiederkehrenden Leistungen eingeht und durch deren gewissenhafte Einhaltung auch die Gottheit an die Erfüllung der mehr oder weniger ausdrücklich ausbedungenen Gegenleistungen für gebunden erachtet."

2) De rep. VI 15. „In these words," inquit vir doctus Fowlerus o. l. p. 412, „the *munus hominum* is exactly what it is in the Æneid, duty to man and the State, and as it is laid down for man by God, it is also duty to Him. The State finds its perfection in the individual, so long as he thus fulfills the will of God."

1) Cf. ad l.: „Virgil probably chose to vary the expression in the two clauses, saying in the first that there were favourable prognostics of the whole of Æneas' voyage, in the second that the divine voices were unanimous in favour of his journeying to Italy."

2) Cf. Cic. de div. I § 11: „duo sunt enim divinandi genera, quorum alterum artis est, alterum naturae"; § 34: „iis igitur adsentior, qui duo genera divinationum esse dixerunt, unum quod particeps esset artis, alterum, quod arte careret. Est enim ars in iis, qui novas res coniectura persequuntur, veteres observatione didicerunt. Carent autem arte ii, qui non ratione aut coniectura observatis ac notatis signis, sed concitatione quadam animi aut soluto liberoque motu futura praesentiunt, quod et somniantibus saepe contingit et non numquam vaticinantibus per furorem".

Forbigerus putare praepositionem „sub" hoc loco dici, ut in vitio religio sit, quem ad modum efficiendum est ex illis: „populum huic religio quasi subiectum"; quodsi hoc esset verum, religio esset hic quoque in vitio, sicut versibus illis Lucretianis: „humana ante oculos foede cum vita iaceret In terris oppressa gravi sub religione" [1]) — sed quin res nullo modo ita se habeat, dubitari non potest, quam ob causam melius illud verbum interpretatur vir doctus Conington hac annotatione: „the *shelter* of the worship of Pallas, as securing protection to the worshippers".

Eadem vis, sc. deorum cultus ac veneratio voci, quae est „religio", inest locis, qui sunt A. II 715: „antiqua cupressus Religione patrum multos servata per annos"; VIII 598: „(lucus) religione patrum late sacer" [2]); VII 172: „(tectum) Horrendum silvis et religione parentum". Postremo huic loco vir doctus Conington adscripsit hanc adnotationem: „cinctum silvis horrendis et religiosis, religione probably referring to the awful antiquity of the grove". Secundum hanc interpretationem genetivus, qui est „parentum", ad vocem, quae est „silvis", referendus est, quod tamen minus veri esse simile puto; praestare mihi videtur cum Forbigero cogitari de institutis, quae religiosus parentum cultus reliquerat. Nec vero ex vocabulo, quod est „horrendum", concludendum est religionem hoc loco sensu sinistro usurpari, quoniam Servius recte, nisi fallor, hanc vocem interpretatus est: „*horrendum* venerandum, non quod horrori est". Cum praeterea scriptum legitur G. I 270: „rivos deducere nulla religio vetuit", nihil aliud religionis voci inest nisi id quod

1) Cf. I vss 62—3.

2) De voce, quae est „sacer", cf. Macr. S. III 3, 2: „sacrum est, ut Trebatius libro primo de religionibus refert, quicquid est quod deorum habetur" (Cf. Wissowa o. l. p. 385 adn. 11).

verbo significari solet, neque cogitandum est de superstitione, quod satis apparet ex verbis antecedentibus: „fas et iura sinunt", quam ob causam optimo iure ad hunc locum Serv. Dan. adnotavit: „religiosi enim esse dicuntur, qui faciendarum praetermittendarumque rerum divinarum secundum morem civitatis dilectum habent nec se superstitionibus implicant". Neque alia verbi est vis A. II 151: „quae religio?", sive facimus cum Servio interpretante: „quae consecratio", quam interpretationem vir doctus Nettleshippius probavit ea verba vertens: „what sanctity attaches to it?", sive adsentimur Conington scribenti: „what was the religious object?"

Quod attinet ad A. XII 182, ubi legimus: „quaeque aetheris alti Religio," iure monuit Conington vocem, quae est „religio", hoc loco concreto, qui dicitur, sensu usurpari atque dici pro eo quod timetur, quam opinionem ad illustrandam affert Cic. Verr. II § 43: „uno eodemque tempore Agrigentini beneficium Africani, religionem domesticam, ornamentum urbis requirebant" (i. e. Apollinis statuam).

Notandum est praeterea, quaecumque vocabuli, quod est „religionis", sit derivatio, de qua a multis variisque viris doctis permulta sunt disputata, quin ei verbo semper sit subiecta vis verecundiae, et interdum vis formidinis [1]) dubitari non posse. Posterior haec significatio dilucide patet ex duobus locis A. VII 608: „(Belli portae) Religione sacrae et saevi formidine Martis", atque A. VIII

1) Cf. de huius verbi significatione J. H. Heinrich Schmidt, Handbuch der Lat. und Griech. Synonymik (Leipz. 1889), pp. 736—7: „Cic. bestimmt, Tusc. 4, 8, 19: *timorem* metum mali appropinquantem, *pavorem* metum mentem loco moventem, ..: *formidinem* metum permanentem ...: wir folgern nun sofort, dass *formido* die starke und unmittelbare Furcht ist, und viel genauer mit dem Begriffe von *φόβος* stimmt, als *timor*, da hier auch das innere Gefül gemeint ist, das mit der *verecundia* eine nähere Verwandtschaft hat, sondern das auch äusserlich sich offenbarende".

349: „iam tum religio pavidos terrebat agrestis dira loci." Vocabulum, quod est „formido", a poeta vulgo adhibetur ad magnum timorem indicandum. Sino, ut exemplum afferam, magnum simulavit timorem, ut iis, quae ab eo dicebantur, a Troianis crederetur, quem timorem poeta significat verbo, quod est „formido": A. III 612: „deposita tandem formidine"; illa formido aliquem reddit amentem A XII 776: „amens formidine Turnus"; de Orphei descensu ad inferos scriptum legitur G. IV 468: „caligantem nigra formidine lucum Ingressus", atque (ne plures adferam locos) conferas A. III 47—8, ubi Æneas, voce Polydori ex imo tumulo audita, dicit: „tum vero ancipiti mentem formidine pressus Obstipui steteruntque comae et vox faucibus haesit". Iam vero loco, supra laudato, verba, quae sunt „religio" ac „formido", invenimus usurpari uno eodemque versu. Iure igitur mihi videtur Servius adiectivum „sacrae" interpretari verbo, quod est „tremendae", nec immerito adnotavit vir doctus Forbigerus ad locum haec: „formido Martis a religione antea commemorata non multum differt et respondet Graeco *δεισιδαιμονίᾳ*". De hoc verbo postea agam; satis erit hic commemorare Vergilii temporibus vocem, quae est *δεισιδαιμονία*, publice quoque usurpatam esse pro Latino nomine, quod est religio. Senatus consulto, anno fere XLII ante Christum natum edicto, scriptum legitur de templo deae Veneris in urbe Aphrodisia Carica „*ταὐτῷ τῷ δικαίῳ ταὐτῇ τε δεισιδαιμονίᾳ, ᾧ δικαίῳ καὶ ᾗ δεισ[ιδαιμονίᾳ τὸ ἱερὸν θεᾶς Ἐφε]σίας ἐστὶν ἐν Ἐφέσῳ*", quae verba a viro docto Mommsenio vertuntur hac ratione: „eodem iure eademque religione quo iure quaque religione [templum deae] Ephesiae est Ephesi" [1]). — Quod

1) Cf. Dr. J. Woltjer, Religio en Pietas bij Lucretius, p. 253. (Verslagen en Mededeelingen der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Afd. Letterkunde, 4de reeks, XI, Amst. 1912).

attinet ad A. VIII 349, verba, quae sunt „pavidos", „terrebat", „dira", indicant magnum timorem [1]).

Gravissimus locus denique est A. III 409: „hac casti maneant in religione nepotes". Notatu est dignissimum vocabulum, quod est „casti", i. e. „pii" [2]), hoc loco artissime cohaerere cum voce, quae est „religione". Sed, ne solis hisce locis subsistamus, ad cognoscendum quidnam sibi velit apud Vergilium religio, licet addere quae sequuntur. Est religionis cum legimus G. I 338: „in primis venerare deos", et A. VI 620: „discite iustitiam moniti et non temnere divos", et G. II 493: „fortunatus et ille deos qui novit agrestis"; ad religionem pertinet quod in omnibus rebus deos precibus invocant homines (passim); cum in deorum honorem aras posueris, vota feceris eaque reverenter ac verecunde solveris: A. III 404 ss. „et positis aris iam vota in litore solves, Purpureo velare comas adopertus amictu" [3]); religionis est cum credideris deos non solum in hac vita, sed etiam in vita post mortem praemia hominibus probis virtuteque praeditis, improbis ac flagitiosis poenas dare (A. I 603 ss., II 536, VI 436, IX 252 passim); cum morbi, mors, aliaeque res, quae hominibus contingunt, numine divino tribuuntur: „si quando letum horrificum morbosque deum rex molitur" (A. XII

1) Servius a. l.: „*religio* id est metus; *dira* magna". Cf. de hoc loco Fowler. o. l. p. 38: „at present I will content myself with noting how accurately the poet, who of all others best understood the instincts of the less civilised Italian of his own day, has used his knowledge to express the antique feeling that there were places which man must shrink from entering".

2) Cf. supra p. 48.

3) Cf. Th. Mommsen, Röm. Gesch. 1874, I[6] p. 27: „wie der Grieche, wenn er opfert, die Augen zum Himmel aufschlägt, so verhüllt der Römer sein Haupt: denn jenes Gebet ist Anschauen und dieses Gedanke". Cf. Wissowa o. l. p. 389, adn. 1.

851); cum maris et terrae tempestates (I 65 ss, III 528)[1]), fulmina (II 648, IV 208) diis adscribuntur; cum deos invocaveris, quippe qui „arva tueantur (eri)" (G. I 21), „novas alant (itis) non ullo semine fruges" (22), „largum caelo demittant (itis) imbrem" (23) — denique apud Vergilium religionis est cum credideris omnia gubernari a regnatore, „qui caelum et terras numine torquet" (A. IV 269).

Omnibus his consideratis atque si memoria tenemus, quonam modo Vergilius, ad has res quod attinet, depinxerit Ænean, virum *pium*, satis causae est, nisi admodum fallimur, dicere apud poetam religionis vocem idem fere sonare atque vocabulum, quod est „pietas". Sed ad *superstitionem* quod attinet, res longe aliter se habet, quod iam demonstrabitur.

(*c*). Legimus A. VIII 185 ss.:

„non haec sollemnia nobis,
„has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
„*vana superstitio veterumque ignara deorum*
„*imposuit*."

Hoc loco sermo est de Ara Maxima, in qua colebatur Hercules, quia a monstro illo Caco liberaverat Latinos, sicut versibus, qui sequuntur, narratur. Euandrus igitur Æneae dicit Herculis venerationem non esse „vanam superstitionem" i. e. (ut cum viro docto Coningtone loquamur)

1) Cf. Alf. von Domaszewski, Abhandlungen zur Röm. Religion (Leipz. u. Berl. 1909) p. 22: „diese Vorstellung von den Sturmgottheiten als Herrscherinnen des Meeres wird von der unter griechischem Einfluss bereits vertieften Auffassung der Naturgewalt dahin geändert, dass ein unbestimmtes göttliches Prinzip als Erreger des Sturmes betrachtet wird. So lautet dann das Gebet um glückliche Fahrt auch in der römischen Flotte. Verg. A. III, 527".

„a vague empty feeling, which having no root in old belief, catches blindly at new"[1]). Porro, Herculem a Latinis coli Euandrus dicere videtur non quo veterum deorum obliti sint eosque neglexerint[2]), sed „saevis", dicit rex Euandrus,

„saevis, hospes Troiane, periclis
„*servati* facimus meritosque novamus honores"[3]).

Animadvertendum est vocem, quae est „servati", esse ἐμφατικῷ, qui dicitur, loco positam.

Itaque duae res hoc loco dici videntur, quibus superstitio a religione distinguitur. Superstitio enim est *vana* i. e. inanis, atque *ignara* veterum deorum; quae res minime sunt religionis apud Vergilium; contra invenitur: „fortunatus et ille deos qui *novit* agrestes"[4]). „Let us mark", inquit vir doctus Fowlerus, „the word *novit*. The husbandman has come to recognise these emanations of the Power and to know them as friends; the word could not have been used of malignant spirit"[5]).

Accedit quod e voce, quae est „imposuit", hoc loco cum pondere usurpatum, fortasse cum Coningtone coniciendum est superstitionem hic quasi onus haberi: „imposuit", sic inquit vir doctus, „has the notion of an institution, *and also of a burden*". Quodsi ita est, Cicero quoque videtur putavisse onus, ut ita dicam, esse superstitionem, qua homines opprimantur; quare superstitio est

1) Cf. Heyn. ad loc: „temere innovata, nullo certo animi iudicio".

2) Adiectivum enim, quod est „ignara", hic idem fere valet ac verba, quae sunt „immemor", „oblita", neque non facere possumus cum Coningtone interpretante: „as we say to ignore", atque cum viris doctis Ladewigio, Schaperio adnotantibus: „vielleicht *incuriosus*, *neglegens*".

3) A. vss. 188—9. 4) G. II 493. 5) o. l. p. 408.

tollenda: „instat enim et urget et, quo te cumque verteris, persequitur, sive tu vatem sive tu omen audieris, sive immolaris sive avem aspexeris, si Chaldaeum, si haruspicem videris, si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid erit de caelo, si ostenti simile natum factumve quippiam; quorum necesse est plerumque aliquid eveniat, ut numquam liceat quieta mente consistere. Perfugium videtur omnium laborum et sollicitudinum esse somnus. At ex eo ipso plurimae curae metusque nascuntur" [1]).

Praeterea ea verba, quae sunt „vana superstitio", admonent eorum, quae de superstitione dicit Cicero: „horum enim sententiae omnium non modo superstitionem tollunt, in qua inest timor *inanis* deorum" [2]); neque ex vocibus, quae sunt „veterumque ignara deorum", cum viris doctis Wagnero, Coningtone facile concludi non potest Vergilium colere novos alienosque deos esse superstitionem iudicavisse [3]), quem ad modum Ciceronis quoque fuisse sententiam mihi videtur recte vir doctus J. Woltjerus coniecisse [4]) ex libri de nat. deor. IIIi § 5. Hic enim Cotta, de populi Romani religione agens, praeter alias res dicit: „nec me ex ea opinione, quam a maioribus accepi de cultu deorum immortalium, ullius umquam oratio aut docti aut indocti movebit" [5]).

---

1) De div. II §§ 149—50. Cf. praeterea Plutarch. de Superstitione 165 E (§ 3): „*μόνη γὰρ οὐ σπένδεται πρὸς τὸν ὕπνον*". Cf. Cic. de fin. I, § 60: „qua (superstitione) qui est imbutus, quietus esse numquam potest".

2) De nat. deor. I § 117.

3) „Virgil", inquit vir doctus Connigton, „is speaking not simply in the spirit of the old Roman belief, but in that of his own time, which repelled e. g. Oriental gods: comp. v. 698 below".

4) O. l. p. 248: „volgens hem (Cicero) bestaat de superstitio in het vereeren van nieuwe en vreemde goden (de N. D. III 5)".

5) Cf. § 6: „a te enim philosopho rationem accipere debeo religionis, maioribus autem nostris etiam nulla ratione reddita credere".

Quodsi verum est Vergilium censuisse superstitionem in diis novis alienisque colendis esse positam, quae res hoc loco non facile negari potest, praesertim cum memoria teneamus ea, quae apud Liv. I 7 [1]) de hac re leguntur, iniuria mihi videntur Forbigerus et alii huiusce loci interpretationem Lactantii laudavisse. Lactantius quidem dicit IV 28, 14: „qui novos sibi ritus adsumebant... hos superstitiosos vocabant", sed qua sententia verba, quae sunt „novos ritus", essent intellegenda, ipse exposuit verbis sequentibus: „ut deorum vice mortuos honorarent, quos ex hominibus in coelum receptos putabant", quibuscum verbis sunt conferenda ea, quae inveniuntur § 13: „superstitiosi autem vocantur non qui filios superstites optant — omnes enim optamus — [2]), sed aut ii qui superstitem memoriam defunctorum colunt aut qui parentibus suis superstites colebant imagines eorum domi tamquam deos parentes". Superstitiosi igitur secundum Lactantii sententiam sunt ii qui defunctorum memoriam colunt. Haec vero opinio non est probanda, quoniam si esset vera, Lemuria, Parentalia superstitionis esse iudicarentur; quod fieri non potest cum constare videatur ab antiquissimis temporibus morem fuisse apud cives Romanos ut colerent Manes [3]). Potissimum ad Vergilium quod attinet, haec opinio prorsus est reicienda, cum res libro Æneidos quinto narratas ad Parentalia pertinere nemo

---

1) Scriptum legitur initio capitis: „sacra diis aliis Albano ritu, Graeco Herculi, ut ab Euandro instituta erant, facit"; atque in fine: „haec tum sacra Romulus *una ex omnibus peregrina* suscepit".

2) Iis verbis Lactantius reiecit Ciceroniana verba, quae sunt: „nam qui totos dies precabantur et immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati" (de nat. deor. II § 72).

3) Cf. Wissowa o. l. p. 232 ss.; Fowler. o. l. pp. 107, 393 ss.

sit qui neget[1]). „Superstitio", recte mea quidem sententia inquit vir doctus Fowlerus, „(is) a word which in Roman usage almost invariably means what is outside the (that) religious law, outside the ius divinum"[2]).

Sed de hoc loco hactenus; restat ut pauca dicamus de A. XII 816—17, ubi legimus:

„adiuro Stygii caput inplacabile fontis
„una superstitio superis quae reddita divis."

Vergilium hoc loco verba Homerica: *„καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅστε μέγιστος Ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι"* (O 37—38) in animo habuisse manifestum est. Verbum igitur, quod est „una", hic eandem habere significationem, quam voces, quae sunt „summa" et „maxima", inter omnes constat neque immerito vir doctus Heynius locutionem: „una superstitio" interpretatus est ita: „quae maxima iurisiurandi inter deos est religio: iusiurandum sanctissimum". Quem ad modum „religio" saepius dicitur pro eo, unde exoritur religio e. g. apud Cic. pro Rosc. Am. § 66: „magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis",[3]) quod idem ad A. III 363, XII 182

1) Cf. Fowler. o. l. pp. 417—8.

2) O. l. pp. 105—106: „let us note also that *dies religiosi* were not marked in the Fasti, i. e. days on which some uncomfortable feeling prevailed, such as the three days on which the *mundus* was open to allow the Manes to come up from their shadowy abode below the earth: with the character of such days as „uncanny" the calendar has simply nothing to do. It is a document of religious law, not of *superstitio*, a word which in Roman usage, almost invariably means what is outside that religious law, outside the ius divinum; and it is a document of *religio* only so far as it is meant to organise and carry out the *cura* and *caerimonia*, the natural results of that feeling which the Romans called *religio*."

3) Forbiger. ad. l.

invenimus, eodem modo superstitio hic mihi videtur esse intellegenda. Sed nobis maioris est momenti hic locus eam ob causam, quod poeta hic non vocem, quae est „religio", sed verbum, quod est „superstitio", usurpavit. Notum enim est deorum iusiurandum Graecorum proprium fuisse neque ad ea, quae de diis cogitarent Romani, pertinuisse. Neque mirum est Vergilium, quippe qui (ut cum Petronio loquamur[1]) „Romanus" fuerit, etiam cum magnum Graecorum illum epicum poetam imitaretur, Graecam illam opinionem superstitionem neque religionem nominavisse. Hic igitur locus, nisi fallor, firmat nostram opinionem, ad superiorem locum expositam, Vergilium scilicet videri iudicavisse superstitionis esse ea, quae ad Romani populi religionem non pertinerent[2]).

Quibus omnibus consideratis ac perpensis adsentiri non possum viro docto Southero, qui versum 817 censet pro glossemate esse habendum has ob causas[3]). *Primo:* versus abundat, ratione habita eius quam loquentem facit poeta et eius qui audit; *secundo:* verbi, quod est „superstitio", vis, quae hoc loco est (*a*) „an object that inspires dread", (*b*) „der ängstlich bindende Eidschwur", est inaudita, praesertim cum A. VIII 187 inveniatur id quod verbo significari solet; *tertio:* apud Vergilium semper reperitur pro voce

1) Petron. Sat. 118: „Homerus testis et lyrici, Romanusque Virgilius et Horatii curiosa felicitas" (Cf. Comparetti o. l. p. 13).

2) Cf. ea, quae vir doctus Conington adnotavit ad A VII 385: „perhaps Virg's *nefas* may be a touch of Roman feeling." Praeterea operae est pretium commemorare, quae vir doctus Gloverus dicit o. l. p. 133: „De la ville de Mirmont (*Ap. de Rhodes et Virgile*, p. 149*f.*) calls attention to the further fact that in the *Æneid* magic and unlawful rites are left to the enemies of Rome. Dido uses magic, and Amata practises Bacchic orgies; for Æneas and his followers the dignified and ancient ritual of Rome suffices."

3) Cf. Class. Review XIV, 1900, p. 154.

„dii", vocabulum, quod est „superi", non locutio: „superi divi"; *quarto:* verbum, quod est „reddita", hoc loco explicari non potest, quoniam duas tantum significationes admittit, scilicet (*a*) „was (has been) restored", (*b*) „was (has been) given as owing". Sed contra pauca habeo quae dicam. Ad primam causam quod attinet, satis est dicere, si nos eiusmodi rebus ducti versum aliquem vel aliquod verbum reiciendum esse censeremus, permulta ab antiquis tradita spuria esse. Quod ad causam secundam, ex iis quae iam supra sunt dicta, perspicuum erit, cur poeta superstitionis verbum hoc loco usurpaverit. Porro verbum, quod est „reddita", interdum significare idem atque vocem, quae est „data", recte Serv. Dan. scripsit ad A. III 333, locis ex Ennio collatis, neque immerito vir doctus Conington revocavit ad Lucr. II 96, ubi locos alios a viro docto Munroo laudatos conferas. Denique locutionem: „superi divi" pro voce „superi" apud Vergilium non esse usitatam libenter concedimus; sed solam hanc ob causam versum esse reiciendum dicere non audeam, cum locutio ipsa per se omnino non sit inusitata atque, ut exemplum adferam, apud Horat. C. IV, 7, 18; I, 1, 30 aliis locis inveniatur. Itaque nulla mihi videtur esse causa cur versum pro glossemate habendum putemus.

Ex iis, quae supra sunt tractata, ostendisse videmur multum interesse apud Vergilium inter superstitionem ac religionem, sed contra religionem atque pietatem idem fere sonare. Quam ob causam omnino facere possumus cum viro docto Fowlero, qui dicit: „*pietas* is Virgil's word for religion", atque „the character of Æneas is pivoted on religion; religion is the one sanction of his conduct" [1]).

1) Cf. o. l. p. 412. Quid is vir doctus verbo, quod est „*religion*", significet, ad Vergilium quod attinet, apparet ex iis, quae sunt dicta o. l. p. 405: (religio is) not an unreasonable or ungovernable feeling, not a *superstitio*,

Quae cum constare videantur, mihi convenit cum viro docto Heinzio dicente: „sucht man in Rom einen Vorgänger Virgils, so trifft man nur einen... Lucrez, den grossen Einsamen. Virgil ist der Erbe nicht nur seiner Kunstmittel, sondern auch seiner Auffassung vom Wesen des Dichterberufs; *die Æneis ist ein positiver Antilucrez*, der freilich dem Hörer die Wahrheit seiner Behauptungen nicht wissenschaftlich beweist, sondern sie ihm im Bilde der Urgeschichte Roms erleben lässt" [1]).

Haec res autem non solum ex Æneide sed etiam e Georgicis enucleari potest. Licet tantum unum exemplum adferre. Scriptum legitur G. I 199—200:

„sic omnia fatis
„in peius ruere ac retro sublapsa referri."

Ut semina quamquam „lecta diu et multo spectata labore Degenerant tamen" [2]) (vs. 197), sic omnia fatis e. q. s.

but a feeling of happy dependence on a higher Power, and a desire to conform to His will in all the relations of human life. This is the kind of feeling that had always lain at the root of the Roman „*pietas*", the sense of duty to family and State, and to the deities who protected them"; atque p. 407: „this is the religious spirit of the Georgics; the divine forces are everywhere, and a man must submit himself to them and seek their aid. He finds his true resource rather in prayer than in philosophy, his part in the world is „laborare et orare". (cf. G. Boissier o. l. p. 225: „travailler et prier, voilà la conclusion des *Georgiques*). The hard lot of the Hesiodic labourer is not that of the *agricola* of the Georgics, who carries on his campaign of toil with a cheerful heart and a clear conscience, for he is in right relation with the Power manifesting itself in the life around him."

1) o. l. p. 210.

2) Minus recte mihi videtur vir doctus R. Dietsch operis, cui titulus est „Theologoumenon Vergilinianorum particula" (Grimae 1853), p. 14 scripsisse: „apparet... in fatis hoc esse, ut omnia, quae ab hominibus non curentur,

Quod omnia fiunt peiora, id verbis allatis divino cuidam numini poeta adscribit, qua in re differt a Lucretio, qui agens de iisdem fere rebus habet: „nequaquam nobis divinitus esse paratam Naturam rerum" (V 198), atque „quod superest arvi, tamen id natura *sua vi* Sentibus obducat, ni vis humana resistat" (vss. 206, 207). Apte igitur dicit v. d. Sellarus: „the speculative idea of the Georgics is rather a theological than a philosophical idea. The ultimate fact which Virgil endeavours to set forth and justify is the relation of man to Nature, under a Divine dispensation. *He too, as well as Lucretius, recognizes the tendency of all things to degenerate, but this tendency he attributes, not to natural loss of force, but to the fiat of Omnipotence*" [1]).

Quae cum ita sint, ea quae Vergilius de pietate ac religione iudicaverit cum iis quae de iisdem rebus senserit Lucretius verbis paucis comparare operae pretium esse mihi videtur [2]).

4. Quatenus Vergilius et Lucretius ad pietatem ac religionem quod attinet inter se discrepent.

Epicuri doctrinam per totam Italiam pervulgatam fuisse priore ultimi saeculi ante Christem natum parte constat [3]); sic enim de Epicureis scriptum legitur apud Cic. Tusc.

---

in peius mutentur." Prorsus alia enim poeta dixerat sc. omnia quamquam ab hominibus curentur, tamen in peius mutari.

1) o. l. p. 210.

2) Me ad hanc rem tractandam opusculum viri doctissimi J. Woltjeri, iam supra laudatum, de religione ac pietate apud Lucretium agens, adhibuisse vix opus est commemorare.

3) Cf. Zeller, Die Phil. d. Griechen, III 1, 1909[4], pp. 383—4.

c. IV § 7: „Italiam totam occupaverunt". Lucretio eam doctrinam esse veram persuasissimum erat, ita ut carminibus suis rem explanare atque exponere conaretur; Vergilium quoque hac doctrina imbuisse Sironem magistrum notum est.

Ad deos quod attinet, nullo modo Epicurus negavit deos esse, nam distinctis verbis dicit: „*θεοὶ μὲν γὰρ εἰσίν*" [1]), quam ob causam minus recte, „Posidonius disseruit in libro quinto de natura deorum, *nullos esse deos Epicuro videri*" [2]). Hoc tamen negavit, deos esse tales quales vulgus animo sibi effinxisset, quem ad modum ex hisce verbis apparet: „*οἵους δ'αὐτοὺς οἱ πολλοὶ νομίζουσιν, οὐκ εἰσίν*" [3]), qua de causa „*ἀσεβὴς δὲ οὐχ ὁ τοὺς τῶν πολλῶν θεοὺς ἀναιρῶν, ἀλλ' ὁ τὰς τῶν πολλῶν δόξας θεοῖς προσάπτων*" [4]). Opiniones enim multitudinis de diis non sunt *προλήψεις* sed *ὑπολήψεις ψευδεῖς*: „*οὐ γὰρ προλήψεις εἰσὶν ἀλλ' ὑπολήψεις ψευδεῖς αἱ τῶν πολλῶν ὑπὲρ θεῶν ἀποφάσεις*" [5]). Hi dii ex Epicuri sententia in

---

1) Epicur. Epist. III ap. Diog. 123 (Usener, Epic. 60, 4).

2) Cic. de nat. deor. I § 123 (Usener, p. 234).

3) Vide adn. 1.

4) Ibid.

5) Ibid. Cf. Cic. de nat. deor. I § 43. De Ciceronis interpretatione verbi, quod est *πρόληψις*, vir doctus Zellerus o. l. p. 445, adn. 2 habet haec: „Diese angaben sind freilich mit Vorsicht aufzunehmen, da Cicero seine Vorstellung von den angeborenen Begriffen einzumischen scheint". Praeterea vir doctus J. Woltjerus, postquam demonstravit Ciceronem, sicut e cap. 17 appareat, sensisse *προλήψεις* insitas vel potius innatas esse, eam rem autem Epicurum non docuisse, laudato D. L. X 23: *πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται*, indicat quid hisce *προλήψεσιν* significaverit Epicurus, collato D. L. X 33: „*τὴν δὲ πρόληψιν λέγουσιν οἱονεὶ κατάληψιν ἢ δόξαν ὀρθὴν ἢ ἔννοιαν ἢ καθολικὴν νόησιν ἐναποκειμένην, τουτέστι μνήμην τοῦ πολλάκις ἔξωθεν φανέντος.*" (J. Woltjer: Lucretii philosophia cum fontibus comparata, Groning. 1877, (Diss.) p. 92, adn. 2). Cf. praeterea de hac re W. Windelband—Ad. Bonhöffer, Geschichte der Antiken Philosophie (München 1912[3]) p. 290.

intermundiis habitabant [1]): „deos enim ipsos iocandi causa induxit Epicurus perlucidos et perflabilis et habitantes tamquam inter duos mundos propter metum ruinarum" [2]); eorum sunt propriae immortalitas ac beatitudo: „πρῶτον μὲν τὸν θεὸν ζῷον ἄφθαρτον καὶ μακάριον νομίζων" [3]), quam ob causam non curant homines, nam id si fieret, illa ἀταραξία tolleretur, quae res beatitudini est necessaria [4]); illi dii sunt, ut cum viro docto Zellero loquamur, „wie eine Gesellschaft epikureische Philosophen, die alles hat, was sie sich wünschen mag: ewiges Leben, keine Sorge und fortwährende Gelegenheit zu angenehmer Unterhaltung" [5]). Nulla igitur secundum Epicuri sententiam est causa

1) Cf. Hippol. philosoph. 22, 3 p. 572, 5 Diels (Us. p. 240 fr. 359): „καθῆσθαι γὰρ τὸν θεὸν ἐν τοῖς μετακοσμίοις οὕτω καλουμένοις ὑπ' αὐτοῦ." De verbo, quod est μετακόσμιος, conferas [Epicur.] Ep. Sec. ap. Diog. X 91 (Us. p. 39): „καὶ ὅτι καὶ ὁ τοιοῦτος δύναται κόσμος γίνεσθαι καὶ ἐν κόσμῳ καὶ μετακοσμίῳ, ὃ λέγομεν μεταξὺ κόσμων διάστημα."

2) Cic. de divin. II § 40. — Quod attinet ad verba, quae sunt „perlucidos et perflabilis," conferatur Æt. 1, 7, 34 p. 306 Dox. (Us. o. l. p. 239): „'Επίκουρος ἀνθρωποειδεῖς μὲν τοὺς θεούς, λόγῳ δὲ πάντας θεωρητοὺς διὰ τὴν λεπτομέρειαν τῆς τῶν εἰδώλων φύσεως."

3) Epic. Epist. III ap. Diog. 123 (Us. p. 59, 16).

4) Epic. Epist. I ap. Diog. 76, 77 (Us. p. 27—28): „καὶ μὴν [καὶ τὴν Us.] ἐν τοῖς μετεώροις φορὰν καὶ τροπὴν καὶ ἔκλειψιν καὶ ἀνατολὴν καὶ δύσιν καὶ τὰ σύστοιχα τούτοις μήτε λειτουργοῦντος τινὸς νομίζειν δεῖ γενέσθαι καὶ διατάττοντος ἢ διατάξοντος καὶ ἅμα τὴν πᾶσαν μακαριότητα ἔχοντος μετὰ ἀφθαρσίας (οὐ γὰρ συμφωνοῦσιν πραγματεῖαι καὶ φροντίδες καὶ ὀργαὶ καὶ χάριτες μακαριότητι, ἀλλ' ἐν ἀσθενείᾳ καὶ φόβῳ καὶ προσδεήσει τῶν πλησίον ταῦτα γίνεται.). Cf. praeterea Us. p. 97: „καὶ ἡ θεία φύσις πρὸς ταῦτα μηδαμῇ προσαγέσθω, ἀλλ' ἀλειτούργητος διατηρείσθω καὶ ἐν τῇ πάσῃ μακαριότητι." Videas etiam Cic. de nat. deor. I § 52.

5) o. l. p. 451. Cf. Hippol. philosoph. 22, 3 p. 572, 5 Diels (Usen. p. 240 fr. 359): „ἥδεσθαι δὲ καὶ ἡσυχάζειν ἐν τῇ ἀκροτάτῃ εὐφροσύνῃ, καὶ

cur dii hominibus timendi sint. Ille timor enim est inanis nec non ex falsis opinionibus de iis exoritur, quem ad modum metus mortis [1]). Epicuri doctrina homines liberantur falsis illis opinionibus atque hanc ob causam illo inani timore deorum mortisque, qua re facta hominibus accedunt animi tranquillitas atque quies. Has ob causas summis laudibus afficiebatur a sectatoribus. „E tenebris", inquit Lucretius:

„e tenebris tantis tam clarum extollere lumen
„qui primus potuisti inlustrans commoda vitae
„te sequor, o Graiae gentis decus...
„nam simul ac ratio tua coepit vociferari
„naturam rerum, divina mente coorta,
„diffugiunt animi terrores" [2]);

immo vero „deus ille fuit, deus, inclyte Memmi". [3]) Epicuro duce Lucretius carminibus suis invectus est in illos „animi terrores", quos ex falsis opinionibus de diis morteque

οὔτε αὐτὸν πράγματα ἔχειν οὔτε ἄλλῳ παρέχειν". Videas praeterea Cic. de nat. deor. I § 102: „nihil habet, inquit, negotii. Profecto Epicurus quasi pueri delicati nihil cessatione melius existimat. At ipsi tamen pueri, etiam cum cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur; deum sic feriatum volumus cessatione torpere, ut, si se commoverit, vereamur ne beatus esse non possit". Seneca, de benef. IV 19: „tu denique, Epicure, deum inermem facis. Omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam, et ne cuiquam metuendus esset, proiecisti illum extra mundum. hunc igitur intersaeptum ingenti quidem et inexplicabili muro divisumque a contactu et a conspectu mortalium non habes quare verearis. nulla illi nec tribuendi nec nocendi materia est; in medio intervallo huius et alterius caeli desertus sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum supra se circaque se cadentium evitat non exaudiens vota nec nostri curiosus". (Usen. p. 242).

1) Epic. Epist. III ap. Diog. 124—5 (Us. pp. 60—61: „συνέθιζε δὲ ἐν τῷ νομίζειν μηδὲν πρὸς ἡμᾶς εἶναι τὸν θάνατον et quae sequuntur".

2) III vs. 1ss.

3) V 8. Cf. praeterea I vss. 62—67.

exortos religionis esse fundamentum putabat. Ex animi sui sententia Lucretius[1]) oderat eam religionem, quae „peperit scelerosa atque impia facta"[2]) et „tantum... potuit suadere malorum"[3]), quae „gravis" et „turpis"[4]) nominatur. Sed Epicuri doctrina religio est superata ac pedibus „subiecta" (I 78—9) atque ille mortis timor etiam „foras agendus" est:

„et metus ille foras praeceps Acheruntis agendus
„funditus humanum qui vitam turbat ab imo
„omnia suffundens mortis nigrore, neque ullam
„esse voluptatem liquidam puramque relinquit"[5]).

Hanc religionem, quam impugnet tam vehementer Lucretius, eandem esse atque eam religionem quam apud Vergilium invenerimus manifestum erit si cum iis, quae de hac re supra sunt dicta[6]), comparabimus haec verba viri docti

1) Cf. Dr. J. Woltjer, Rel. en Piet. bij Lucretius, p. 239: „hij is steeds ernstig, zijn haat welt op uit het diepst van zijn gemoed, niet uit het verstand alleen". Facere non possumus quin hic laudemus ea, quae vir doctus W. Warde Fowler, Social Life at Rome in the age of Cicero (Lond. 1909) p. 327 de hac re dicit: „He was... *in deadly earnest*, calling men to renounce their errors both of thought and conduct. He saw around him a world full of wickedness and folly; a world of vanity, vexation, fear, ambition, cruelty, and lust. He saw men fearing death and fearing the gods; overvaluing life, yet weary of it; unable to use it well, because steeped in ignorance of the wonderful working of Nature... We may be certain that he was absolutely convinced of the truth of all he wrote". Cf. praeterea W. Y. Sellar, The Roman poets of the Republic (Oxford 1905, re-issue of 3rd edition (1885)) p. 306: „In no quality does he rise further above the standard of his age than in his absolute sincerity and his unswerving devotion to truth".

2) I 83.

3) I 102.

4) II 680.

5) III 37—40.

6) cf. o. h. pp. 57—58.

Woltjeri de religione apud Lucretium: „religio is het wanneer men aan de werkelijk bestaande goden eigenschappen en werkingen toekent, die zij inderdaad niet bezitten, bijv. almacht (V 1209, VI 63) of 't scheppen en besturen van de wereld (V 1240), het leiden van het leven en 't lot der menschen (V 1209).... Religio is het, wanneer men waant, dat zon, maan en sterren, hemel, zee en aarde, volgens den wil der goden eeuwig zullen blijven (V 114, 1215). Religio is 't wanneer men gelooft aan het bestaan van een onderwereld (III 25, 1013), aan zielen die daar verblijven en straffen ondergaan wegens misdaden, die zij op aarde bedreven hebben (III 966, 978). Religio is het, wanneer men meent dat menschen door hunne daden de goden kunnen vertoornen of door vrome handelingen, door offers en gebeden iets kunnen doen om de goden gunstig voor zich te stemmen (III 54)"[1]). Attamen discrimen quoque invenitur. Lucretius deos, qui timeantur, esse dominos superbos (II 1091) et acres (V 81=VI 58 sqq.) censuit. Aliter vero Vergilius. Scriptum quidem legitur A. XII 877: „nec fallunt iussa superba magnanimi Iovis", ubi ipsum verbum, quod est „magnanimus", per ironiam usurpatur, neque dubitandum est, quin saepissime apud Vergilium sermo sit de ira deorum, sed unusquisque concedet verba, ab Iuturna dicta (XII 877), non nimis premenda esse, neque ex iis poetae sententiam colligi posse, quasi et ipse deos esse superbos censeret; contra apud poetam de misericordia deorum saepius mentionem fieri invenimus; praeterea animadvertendum est poetae ei, qui diis adscribat iustitiam, sicut supra iam vidimus, dicendum esse de ira deorum, sed inde efficiendum non esse Vergilium quoque deos esse dominos superbos et acres putasse, nemo est qui

1) o. l. p. 247.

neget. At contra si quis deos novit neque „temnit" fortunatus est[1]).

Porro vir doctus Woltjerus mihi videtur optime probavisse[2]) eam religionem, quae Lucretio sit odio, eandem esse atque eam, quam Graeci „*δεισιδαιμονίαν*", vocare solerent eamque ita spectatam ut in vitio esset. Haec *δεισιδαιμονία* apud Theophrast. Charact. 16 vocatur „*δειλία πρὸς τὸ δαιμόνιον*"[3]). Plutarchus in opusculo, quod inscribitur „*περὶ δεισιδαιμονίας*", ad hanc rem pertinere putavit haec: si hominum animi perturbentur atque opprimantur magno perpetuoque timore deorum vel daemonum, quos ulciscendi cupidos ac malignos esse censeant; si credideris defunctorum hominum animas esse immortales neque in homines, qui vivunt, quicquam momenti non esse; si credideris Orcum esse terrorum plenum, ubi homines post mortem puniantur atque excrucientur. Talis *δεισιδαίμων* fit homo superstitiosus. Quae omnia si memoria tenemus, Lucretium, quippe qui in primis illos animi terrores impugnet, nullum servare discrimen inter religionem eiusmodi *δεισιδαίμονος* ac superstitionem per se intellegitur[4]).

Religionem apud Vergilium quoque esse *δεισιδαιμονίαν* iam supra vidimus[5]). „Wenn wirklich", iure inquit vir doctus Heinzius, „wie schon antike Beobachter empfanden,

1) G. II 493, A. VI 620.

2) o. l. p. 253 ss.

3) Cf. Polluc. I, 20: „*ὁ μὲν τοίνυν θεοὺς νομίζων ἀνὴρ καλοῖτ' ἂν εὐσεβής, φιλόθεος ..., ὁ δὲ ὑπερτιμῶν, δεισιδαίμων καὶ δεισίθεος*".

4) Cf. J. Woltjer o. l. p. 250: „hij is klaarblijkelijk van oordeel dat er tusschen *religio* en *superstitio* in het wezen der zaak geen verschil bestaat. Beide schrijven aan de goden eigenschappen en werkingen toe, die zij niet bezitten of oefenen; beide berusten dus op onkunde".

5) Cf. o. h. p. 56.

die *δεισιδαιμονία* zu den wesentlichsten Grundzügen des römischen Wesens gehörte, so ist die Æneis durch Virgils Kunst auch in diesem Punkte zum römischen Epos *κατ' ἐξοχήν* geworden"[1]). *Attamen ex iis omnibus, quae iam de religione apud Vergilium supra sunt tractata, facile, nisi fallor, conicitur eum fortasse* CONTRA IPSUM LUCRETIUM *illam δεισιδαιμονίαν carminibus, vel potius dicam carmine epico, ita exposuisse ut* EA IN LAUDE ESSET. Hac enim sententia quoque hoc verbum esse usurpatum ab antiquis notum est[2]). Sic scriptum legitur apud Xenophon. Ages. XI 8: „*ἀεὶ δὲ δεισιδαίμων ἦν, νομίζων τοὺς μὲν καλῶς ζῶντας οὔπω εὐδαίμονας, τοὺς δ' εὐκλεῶς τετελευτηκότας ἤδη μακαρίους*"; Cyrop. III 3, 58: „*ἐν τῷ τοιούτῳ* (sc. in pugna) *γὰρ δὴ οἱ δεισιδαίμονες ἧττον τοὺς ἀνθρώπους φοβοῦνται*"; conferas praeterea Arist. Pol. V cap. II, 1315 a 1: „*ἧττόν τε γὰρ φοβοῦνται τὸ παθεῖν τε παράνομον ὑπὸ τῶν τοιούτων, ἐὰν δεισιδαίμονα νομίζωσιν εἶναι τὸν ἄρχοντα καὶ φροντίζειν των θεῶν*"; revocamus praeterea ad Diod. Sic. I 70 atque XI 89[3]); neque non commemorandi sunt in Sacris Scripturis Act. Apost. 17, 22; 25, 19; Hesychius hoc verbum interpretatus est hac ratione: *δεισιδαίμων: ὁ τὰ εἴδωλα σέβων, εἰδωλολάτρης. ὁ εὐσεβὴς καὶ δειλὸς περὶ θεούς.* Neque praeterea ignotum est Polybium VI 56, 6—12, putavisse Romani populi civitati illam *δεισιδαιμονίαν* esse utilem ac necessariam rem atque eodem modo ad multitudinem quod attinet censet Strabo[4]). Quae

1) Cf. o. l. p. 314.

2) Cf. de huiusce verbi usu L. Schmidt o. l. II pp. 64—67.

3) I 70: „*ταῦτα δ' ἔπραττεν ἅμα μὲν εἰς δεισιδαιμονίαν καὶ θεοφιλῆ βίον τὸν βασιλέα προστρεπόμενος*"; XI 89: „*οὕτω γὰρ ἡ τῶν θεῶν δεισιδαιμονία τοὺς ὀμόσαντας πρὸς τοὺς δούλους πιστοὺς ποιεῖ*".

4) Cf. I 2, 8: „*οὐ γὰρ ὄχλον τε γυναικῶν καὶ παντὸς χυδαίου πλήθους ἐπαγαγεῖν λόγῳ δυνατὸν φιλοσόφῳ, καὶ προσκαλέσασθαι πρὸς*

Strabonis sententia comparanda est cum iis, quae de *τοῖς ἐν ᾅδου* dicit Diod. Sic. I 2: „*ἡ τῶν ἐν ᾅδου μυθολογία, τὴν ὑπόθεσιν πεπλασμένην ἔχουσα, πολλὰ συμβάλλεται τοῖς ἀνθρώποις πρὸς εὐσέβειαν καὶ δικαιοσύνην*". — Notum est has res a Vergilio uberius libro Æneidos sexto esse tractatas atque tantum abest ut putet eiusmodi res nihil nisi inanem timorem excitare in animis hominum ut primam carminis sui personam descendentem ad inferos faciat, quo melius rebus illis cognitis officium suum exsequatur. Orcum in primis impugnavit Lucretius [1]); ad inferos Vergilius Ænean facit descendentem atque (cum viro docto Fowlero ut loquamur) „the purpose was to make of Æneas a new man, to regenerate him: to prepare him by mystic enlightenment for the toil, peril and triumph that await him in the accomplishment of his divine mission" [2]). Optimo iure igitur vir doctus

---

εὐσέβειαν καὶ ὁσιότητα καὶ πίστιν, ἀλλὰ δεῖ καὶ δεισιδαιμονίας· τοῦτο δ'οὐκ ἄνευ μυθοποιίας καὶ τερατείας." (Cf. O. Gruppe, Griech. Myth. u. Religionsgeschichte (München, 1906) II, p. 1475, adn. 4).

1) Cf. J. Woltjer o. l. pp. 256—257; „bij Lucretius vormen de verschrikkingen i/d onderwereld het hoofddoel van het kwaad, dat de religio over de menschen brengt; cf. III 37. De Hades wordt meermalen genoemd; op twaalf plaatsen door Acheruns, Acherusia templa enz. aangeduid; dikwijls door Tartarus, Tartara leti, Orcus aangegeven."

2) Relig. Exp. of the Rom. People p. 419. Cf. praeterea J. W. Mackail, Lectures on Poetry, p. 89; Heinze o. l. p. 273 ss. Audiatur in primis de hac re vir doctus H. Theod. Plüss, Vergil und die Epische Kunst (Leipz. 1884) p. 346: „Dass z. B. ein Held der Abenteuer und Schicksale auch einen Gang in die Unterwelt unternehmen müsse, ist ein uraltes Motiv... Dieses epische Motiv verwendet auch Vergil, aber die Idee Vergils ist eine völlig andre als die Homers. Der Kämpfer für die politische und religiöse Zukunft seiner Nation wagt es in kindlichem Gehorsam, das Grauen vor der Unterwelt zu überwinden, die furchtbarsten Schrecknisse, die das menschliche Leben bedrohen, mit Augen zu schauen und von der Gerechtigkeit ewiger Verdamnis und ewiger Seligkeit Zeuge zu sein; es muss von

Heinzius dixit: „die Æneis ist ein positiver Antilukrez" [1]). Itaque intellegitur apud Vergilium religionem omnino non esse superstitionem atque, mea quidem sententia, vir doctus Conington ad Æn. VIII 186—7, quo loco sermo est de Herculis cultu, recte adnotavit: „we may almost fancy that Virgil is defending religion against Lucretius; at any rate we may compare the latter's assertion of Epicurus' claims to deification at the beginning of Bk. 5, and in particular his depreciation of Hercules".

De religione quae sensisset Lucretius, ea ex Epicureae philosophiae praeceptis emanare iam vidimus neque mirum est *pietatis* voce eum intellexisse aliam quandam rem atque id quod verbo significari solet. Rem enim vulgo voce, quae est „pietas", significatam impugnat Lucretius illis notissimis versibus libri quinti [2]). Attamen etiam apud Epicurum eiusque sectatores sermo est de pietate. Epicurus enim praecepit ut vir sapiens honoraret deos, quem ad modum apparet ex hisce verbis: „*κἀν [τῶι] Περὶ βίων δευ[τέρωι] προσκυνή[σεσθαι θεούς φησι τὸν σοφόν]*" [3]), sed non quo dii irati fierent si ab hominibus non colerentur: „*προσεύχεσθαι γὰρ ἐν τῶι Περὶ [βίων] οἰκεῖον εἶναι [σοφί]αι φησίν, οὐχ ὡς [ἀχθο]μένων τῶν θεῶν εἰ μὴ ποιή[σομεν]*" [4]), nec vero quo diis opus esset honoribus: „*τὰ δὲ τοσαῦτα λεγέσθω καὶ νῦν, ὅτι*

---

der Frau, die er geliebt hat, um seiner Berufstreue willen sich tief demütigen lassen und wiederum darf er sich bescheiden stolz erheben, wenn er in der Kraft und Grösse seines zukünftigen Volkes den Lohn seiner eigenen Berufstreue vor sich sieht. Mit *einem* Worte: der Ahnherr wird seinem Volke zum Bürgen der Gerechtigkeit des Weltlaufs. Diese Idee und der kunstvolle Rhythmus ihrer Ausdrucksform ist Vergils dichterische Schöpfung".

1) Cf. o. l. p. 210.

2) vs. 1198 ss.

3) Philod. *π. εὐσεβ.* VH² II 108 p. 126, 26 Gomp. (Us. p. 96).

4) Ibid.

τὸ δαιμόνιον μὲν οὐ προσδε[τ]αί τινος τιμῆς" [1]). Quibus de causis deos hominibus esse colendos illi philosophi censuerint, apparet ex iis quae sequuntur: 1°. „propter maiestatem eius (sc. dei) eximiam, singularem naturam" [2]); 2°. ita comparatam esse naturam omnium hominum ut deos colant ac honorent: „*ἡμῖν δὲ Φυσικόν ἐστιν αὐτὸ* (sc. *τὸ δαιμόνιον*) *τιμᾶν μάλιστα μὲ[ν] ὁσίαις [ὑ]πολή[ψ]εσιν*" [3]); 3°. id hominibus esse utilitati: „*κατ' Ἐπίκουρον ὄνησις τοῖς ἀνθρώποις ἀπὸ θεῶν γίνεται· τὰς γοῦν βελτίονας ἀπορροίας αὐτῶν Φασι τοῖς μετασχοῦσι μεγάλων ἀγαθῶν παραιτίας γίνεσθαι*" [4]). Quo modo dii sint colendi, apparet ex hisce verbis: (*a*) „*κατὰ τὴν ἐπίνοιαν τῶν [ὑπερβ]αλλουσῶν [δυνά]μει καὶ σπου[δαιότ]ητι Φύσεων*" [5]): (*b*) „*πάντα γὰρ σο[Φὸν] καθαρὰς καὶ ἁ[γν]ὰς δόξας ἔχειν [περὶ] τοῦ θείου καὶ [μεγ]άλην τε καὶ σε[μν]ὴν ὑπειληΦέ[ναι] ταύτην τὴν Φύσιν*" [6]).

Eadem ratione Lucretium de pietate iudicavisse ex V 68—78 manifestum est. „De pietas," inquit vir doctus Woltjerus, „is bij Lucretius niet iets, dat de goden zelven raakt; zij verheugen zich niet over de pietas en zijn niet

1) Philod. de musica (Us. p. 258).

2) Senec. de benef. IV 19, 4 (Us. p. 242). Cf. praeterea Cic. de n. deor. I § 56: „et pie sancteque colimus naturam excellentem atque praestantem".

3) Philod. de musica (Us. p. 258).

4) Atticus Eus. praep. eu. XV 5 p. 800a (Us. p. 258). De verbo quod est *ἀποῤῥοίας* audiatur vir doctus Woltjerus o. l. p. 243: „de goden worden door de ziel der menschen als realiteiten waargenomen; zij openbaren hun bestaan op gelijksoortige wijze als andere realiteiten, die wij in de natuur rondom ons waarnemen, namelijk door *ἀπόῤῥοιαι*, door afstroomingen van uiterst fijne deeltjes, welke door ons worden opgevangen; zij zijn zeer goed te vergelijken met wat wij in de natuurkunde *emanatie* noemen".

5) Philod. *π. εὐσεβ.* (Us. p. 96).

6) Philod. *π. εὐσεβ.* (Us. p. 258). Cf. praeterea Epic. Epist. III ap. Diog. 133 (Us. p. 65): „*ἐπεὶ τίνα νομίζεις εἶναι κρείττονα τοῦ καὶ περὶ θεῶν ὅσια δοξάζοντος*".

vertoornd over de impietas: zij is, als ik 't zoo mag uitdrukken, eene immanente deugd, ja veeleer een aesthetisch gevoel dan een zedelijke daad" [1]).

Hoc modo Lucretius cives suos instituere conatus est, sed per se intellegitur civem Romanum, cuius natura ab antiquis temporibus a philosophia abhorreret [2]) (ut Cottae verbis utar), tale quid rogavisse: „quis enim istas imagines comprehendere animo potest? quis admirari? quis aut cultu aut religione dignas iudicare? Epicurus vero ex animis hominum extraxit radicitus religionem, cum dis immortalibus et opem et gratiam sustulit" [3]).

Tale quid Lucretium quoque videri sensisse fortasse coniciendum est ex illis notissimis pulcherrimisque versibus:

„nam cum suspicimus magni caelestia mundi
„templa super stellisque micantibus aethera fixum e. q. s" [4]).

1) o. l. p. 246. Cf. praeterea p. 265: „bij Lucretius (is) de pietas de betamelijke innerlijke vereering van de goden, zooals zij volgens zijne philosophie in waarheid bestaan".

2) De hac re audias Ciceronem dicentem: „Sapientiae studium vetus id quidem in nostris". Tusc. IV 3. Cf. I 1: „sed meum semper iudicium fuit omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos, aut accepta ab illis fecisse meliora". De Orat. I 4, 15. Huic opinioni repugnare videtur illa Tusc. I 3, 6: „philosophia iacuit usque ad hanc aetatem". (Cf. J. Woltjer, Lucr. philos. cum font. comp., p. 2 adn. 6).

3) Cf. Cic. de nat. deor. I § 121. Cf. praeterea o. l. §§ 3, 4: „sunt enim philosophi et fuerunt, qui omnino nullam habere censerent rerum humanarum procurationem deos. Quorum si vera sententia est, quae potest esse pietas, quae sanctitas, quae religio?... In specie autem fictae simulationis, sicut reliquae virtutes, item pietas inesse non potest, cum qua simul sanctitatem et religionem tolli necesse est, quibus sublatis perturbatio vitae sequitur et magna confusio; atque haud scio an pietate adversus deos sublata fides etiam et societas generis humani et una excellentissima virtus, iustitia, tollatur".

4) V 1204 ss.

„Men ontwaart," inquit vir doctus Woltjerus, „uit deze met gloed en diep gevoel geschreven verzen, hoe groot de inhoud is, dien de argumenten voor het werken eener goddelijke macht in de natuur en 't leven der menschen op Lucretius maken. Het gevoel in den mensch en den dichter komen hier klaarblijkelijk in botsing met de theorie in den wijsgeer, die eischt, dat men moet „pacata posse omnia mente tueri" (vs. 1203). Hier zwijgt de triumphkreet: „nos exaequat victoria caelo!" [1])

Inest in Lucretio id, quod dicere velim Belgice, „'n anti-Lucretius", [2]) atque is, qui a magno illo poeta didicerat permulta, magis cum „anti-Lucretio" (ut ita dicam) quam cum Lucretio congruit. [3]) Pietatem a religione Vergilius non separat, immo vero pietas apud eum est religio, quem ad modum supra iam ostendisse videmur.

At alia quaestio hic exoritur, de qua mihi pauca verba esse videntur dicenda. Quaeritur enim quatenus Vergilius ad pietatem ac religionem quod attinet cum Stoicis con-

---

1) o. l. p. 262. Cf. praeterea p. 263: „hier spreekt de ziel van den dichter zelf, die in de natuur meer voelt dan stof en ruimte, in wien de vrees voor wat boven de natuur uitgaat, voor den mystieken achtergrond der dingen, niet zelden, zij het ook zijns ondanks, het ontwakende hoofd weer opheft."

2) Cf. de hac re M. Patin, Études sur la poésie Latine, (Paris, 1900[4]), I pp. 117—137.

3) Cf. Sellar o. l. p. 3: „the thought of Lucretius acted upon the mind of Virgil through the force both of sympathy and antagonism, as a strong original nature acts upon one which is at once receptive of influence and possessed of firm convictions of its own." Videas praeterea pp. 194, 197—8: „Virgil is no mere disciple of Lucretius, either as regards his philosophy or his art. e. q. s"; p. 245. — Cf. H. Nettleship, Ancient Lives of Virgil (Oxford 1879) p. 61: „Vergil's study of Lucretius is thus only in part sympathetic; with all Vergil's devotion to his master there are many traces of a tacit protest against the rigour of his doctrine and method."

gruerit. Hanc rem paginis sequentibus breviter tractare in animo est.

5. De ratione, quae intercedat ad has res Vergilio cum Stoicis.

Notissimum est anno 156 a. Chr. n. Romam venisse illos legatos, Diogenem Stoicum, Critolaum Peripateticum, Carneadem Academicum. Ex hisce viris imprimis Diogenes cives Romanos videtur delectavisse. Gellius enim tradidit: „dicebat... modesta Diogenes et sobria." [1]) Panaetius, illius discipulus, [2]) imprimis apud Romanos Stoicorum doctrinam propagavit; sed Vergilii temporibus maximi momenti fuit Posidonius, [3]) omnium maximus Stoicorum, [4]) qui apud Romanus multum auctoritate valebat, [5]) qui

---

1) N. A. 14, 8. (Cf. Arnim, Stoic. vet. fragm. III p. 211 n. 8. Videas praeterea alios locos ibidem laudatos).

2) „Den Diogenes nennt als seinen Lehrer der Ind. Herc. col. 51, 2 und Suid. *Παναίτ.*, den Antipater Cic. de divin. I 3, 6.... Ausser ihnen hatte er nach seiner eigenen Angabe (bei Strabo XIV 5, 16 S. 676) den Krates aus Mallos in Pergamum gehört." (Zeller, o. l. p. 577 adn. 3).

3) „Seit Müllenhoff die Anregung dazu gegeben, hat die Forschung sich unablässig bemüht einem Manne näher zu treten, der ihr ebenso viele schwierige Rätsel aufgibt, wie er „ohne Frage eine der anziehendsten, achtungswertesten und liebeswürdigsten Erscheinungen des späteren Griechentums" ist, *Poseidonios.*" (Wilh. Gerhäuser, Der Protreptikos des Poseidonios, (München 1912 — diss. Heid., p. 5). Opera de Posidonio agentia nominantur huiusce libelli pp. 5, 6.

4) Cic. fragm. ed. Orrelli p. 482.

5) Notum est Pompeium Posidonium visisse, quae res apud Cic. Tusc. II 25, 61 narratur. Audiatur de hac re vir doctus E. Schwarz, Charakterköpfe aus der antiken Literatur, 1[4], Leipz. u. Berl. 1912, p. 92: „Pompeius hielt es auf der Rückreise vom mithridatischen Krieg für vereinbar mit seiner Imperatorenwürde, den alten gichtbrüchigen Mann persönlich zu besuchen; er verbot dem Liktor an die Tür zu klopfen und liess die Fasces senken, eine für einen Nichtrömer unerhörte Ehre."

multos insignes cives Romanos habebat discipulos, quem Cicero „familiarem omnium nostrum" [1]) dicebat, de quo Seneca; „ecce Posidonius, ut mea fert opinio, ex his qui plurimum philosophiae contulerunt" [2]). Maioris autem momenti hic est commemorare Posidonium Stoicos priores magis secutum esse quam Panaetium qui, Carneade veterum Stoicorum doctrinam impugnante, quibusdam in rebus ab illa dicitur discessisse. [3]) Res theologicas doctrinae Stoicae in primo loco rursus posuit Posidonius: „er ist," inquit vir doctus Ed. Schwarzius, „nicht so sehr Philosoph wie Theologe: darin liegt zugleich seine Schwäche wie seine Grösse" [4]). Notum est eum opus περὶ θεῶν scripsisse, quod libri primi Varronis operis de antiquitatibus divinis atque libri secundi Ciceronis de natura deorum praecipuum fuisse fontem inter omnes fere constat. [5])

Vergilium prius ad Epicuri doctrinam inclinavisse prooemio iam diximus [6]), sed apud eum haec doctrina

---

1) De nat. deor. I § 123.

2) Ep. 90, 20 (Zeller o. l. p. 595 adn. 1).

3) Is negabat, exempli gratia, mundi conflagrationem, animi immortalitatem, de arte divinandi addubitabat. Cf. Zeller o. l. pp. 582—588; A. Schmekel, Die Philosophie der mittleren Stoa, Berl. 1892, pp. 185, 187 adn. 2, 189, 193 aliae.

4) o. l. p. 97. Cf. praeterea P. Wendland, Die Hellen-Röm. Kult. 1912[2,3] pp. 61, 134 ss.

5) Cf. Schmekel o. l. p. 85 ss., 104 ss., 116, 146; cf. etiam Wendland o. l. p. 140.

6) De Epicureis carminibus Augusti temporibus audias virum doctum Fr. Skutsch, Aus Vergils Frühzeit, (Leipz. 1901) p. 47: „der Epikureismus ist die Modephilosophie in den letzten Jahrzehnten der Republik, um dann unter Augustus' Regiment vom Stoicismus abgelöst zu werden". Hanc opinionem, a viro docto Leo impugnatam, Skutschius rursus defendit operis, quod inscribitur „Gallus und Vergil", (Aus Vergils Frühzeit

non nimium valuisse videtur, cum iam in Eclogis cognoscatur quid Stoici ad eum pertinuerint, quae res magis patet in Georgicis [1]), neque non in Æneide est conspicua. Immerito igitur mihi videtur vir doctus Wilamovitzius—Moellendorfius dicere de „Religiosität des *Epikureers* Vergil" [2]).

Sed breviter investigemus quatenus Vergilius in hisce rebus, de quibus disceptatur, cum Stoicis congruerit.

(*a*). Iam supra vidimus esse ex Stoicorum doctrina apud Vergilium quoque pietatem cum iustitia coniungi [3]).

(*b*). Homo pius apud Vergilium credit deos esse atque mundum regere ac gubernare, quod idem apud Senecam Ep. 95, 50 scriptum legitur: „primus est deorum cultus deos credere .... scire illos esse, qui praesident mundo."

(*c*). De cultu deorum quae apud Vergilium invenimus, omnino quadrant in ea quae de hac re reperiuntur ap. Cic. de nat. deor. II § 71: „cultus autem deorum est optimus idemque castissimus atque sanctissimus plenissi-

---

II Leipz. u. Berl. 1906), pag. 9 hisce verbis: „auch Epikureer hat es gewiss in augusteischer Zeit noch gegeben, aber von epikureischer Schriftstellerei, prosaischer und poetischer, ist nun einmal nicht die Spur mehr nachzuweissen".

1) Cf. G. Boissier, o. l. p. 228: „comme la plupart des grands esprits de ce temps, Virgile avait commencé par être épicurien; comme eux aussi, la réflexion et le progrès des années l'amenèrent peu à peu vers des opinions différents. La transition se marque dans les Géorgiques". Vide praeterea H. Nettleship o. l. p. 60: „the poetical side of the Epicurean philosophy, as it had wholly absorbed the passionate soul of Lucretius, exercised in like manner its powerful spell over the mind of Vergil, though at the time of the composition of the Georgics he had emancipated himself from its exclusive influence". — Cf. praeterea E. Norden, Neue Jahrbücher f. kl. Alterthum, 1901, p. 270 adn. 3.

2) Reden u. Vorträge, Berl. 1901, p. 267.

3) o. h. p. 44 ss.

musque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta et mente et voce veneremur"[1]).

(*d*). Deorum voluntati oboedire atque obtemperare apud Vergilium res est gravissima; conferas de hac oboedientia Epict. Man. 31: *„καὶ σαὐτὸν εἰς τοῦτο κατατεταχέναι, τὸ πείθεσθαι αὐτοῖς καὶ εἴκειν ἐν πᾶσι τοῖς γινομένοις"*[2]). Hoc *εἴκειν ἐν πᾶσι τοῖς γινομένοις* semper occurrit apud Vergilium, nec non imprimis patet cum Æneas Dareti, singulari certamine ab Entello superato, dicit; „infelix, quae tanta animum dementia cepit? Non viris alias conversaque numina sentis? *Cede deo*"[3]). Homo enim pius non solum res maximas ac gravissimas constituere, verum etiam res vitae humanae minimas non neglegere deos credit.

(*e*). Pietatis est apud Vergilium deorum cognitio: „fortunatus et ille deos qui novit agrestes". Conferatur Sen. Ep. 95, 47: „deum colit, qui novit"[4]). Notatu dignissimum est hunc versum laudatum sequi illum notissimum versum: „felix, qui potuit rerum cognoscere causas"[5]), qua re Vergilius videtur significare illud „rerum cognoscere causas" non esse neglegendum, sed deorum cognitionem sibi maioris esse momenti. Ex hoc loco apparere quid ad Vergilium pertinuerit Posidonius, iure ostendisse mihi videtur vir doctus Ed. Nordenius. „Für Lucretius", inquit, „ist es nun der höchste Triumph dieser Erkenntnis (sc.

1) Cf. praeterea de domo sua § 107: „nec ut ulla erga deos pietas sine honesta de numine eorum ac mente opinione".

2) Zeller o. l. p. 320, adn. 1.

3) V vss. 465—468.

4) Epict. Man. 31, 1: *„τῆς περὶ τοὺς θεοὺς εὐσεβείας ἴσθι ὅτι τὸ κυριώτατον ἐκεῖνό ἐστιν, ὀρθὰς ὑπολήψεις περὶ αὐτῶν ἔχειν"*.

5) G. II 490.

rerum cognoscere causas), dass sie von der *religio* befreit; der Eifer, mit dem er nicht müde wird, dies immer und immer wieder einzuschärfen, wird verständlich, wenn wir bedenken, dass Poseidonios (dessen spuren man auch sonst bei Lucretius oft genug finden kann) wie wir aus Cicero entnahmen (S. 94), *umgekehrt die pietas als ein Resultat der cognitio deorum* hingestellt hatte"[1]).

(*f*). Iam supra commemoravimus[2]) apud Vergilium pios homines bene accurateque novisse quid se diis facere oporteant, quod idem invenimus apud Stob. ecl. II 67, 20 W: *„τὴν γὰρ ἀσέβειαν κακίαν οὖσαν, ἄγνοιαν εἶναι θεῶν θεραπείας, τὴν δ' εὐσέβειαν ... ἐπιστήμην θεῶν θεραπείας"*, atque apud Diog. Laert. VII 119: *„θεοσεβεῖς τοὺς σπουδαίους· ἐμπείρους γὰρ εἶναι τῶν περὶ θεῶν νομίμων. εἶναί τε τὴν εὐσέβειαν ἐπιστήμην θεῶν θεραπείας"*[3]). — Ad artem divinandi quod pertinet, quam pii homines apud Vergilium callent, notum est veterem Stoicorum doctrinam de hac re defendisse Posidonium[4]).

Itaque multis partibus Vergilium cum Stoicis congruisse apparet. Attamen eum ab illis et discrepavisse non obliviscendum est. Nonnullas discrepantias paucis verbis indicare opus esse mihi videtur.

(*a*). Homo pius apud Vergilium non solum deos veretur

1) Cf. Agnostos Theos (Leipz.-Berl. 1913) p. 101. Memorabilia sunt ea quae dicit pp. 87—109 de iis, quae sunt *„γιγνώσκειν θεὸν"* et *„γνῶσις θεοῦ"*. Nec immerito monet p. 90 adn. 4 locutionem apud Vergilium, quae est „adgnoscoque deos" (A. XII 260) pertinere ad res augurales neque ad Stoicorum doctrinam esse referendam, sicut e. g. „agnoscere deum" apud Cic. de leg I 24 et Tusc. I 70.

2) O. h. pp. 34—5.

3) St. vet. Fragm. (Arnim) III p. 157.

4) Cf. Zeller o. l. p. 597 adn. 1.

sed etiam timet. Id ipsum Stoici repudiant. Sic enim dicit Seneca: „deos nemo sanus timet; furor est enim metuere salutaria, nec quisquam amat, quos timet" [1]). Optimo iure ad hunc locum vir doctus Zellerus adnotavit: „es bedarf kaum der Bemerkung, wie sehr diese Sätze gerade dem Geiste der römischen Religion, in welcher die Furcht ein so wesentlicher Bestandteil der *religio* ist, widerstreiten." Hac ex parte igitur Vergilius revera „*Romanus*" est, sed eum deorum timorem, quippe qui cum deorum cognitione coniungi videatur, homines non infelices reddere fortasse coniciendum est.

(*b*). Porro novimus homines pios apud Vergilium id agere ut pacem ac veniam deorum precibus, votis, sacrificiis [2]) impetrent; eos secum deorum simulacra [3]) habere neque haec quoque, precibus invocata, se adiutura esse non exspectant; eos in deorum honorem aras statuere, aedificare templa.

Haec omnia Stoici impugnaverunt. De templis statuisque

---

1) De benef. IV 19, 1 (Zeller o. l. p. 321 adn. 4).

2) A. III 261: „sed votis precibusque iubent exposcere pacem".
vs. 144: „hortatur pater ire mari veniamque precari".
vs. 369 ss.: „hic Helenus caesis primum de more iuvencis „exorat pacem divom".
Cf. A. IV 56, alii.

3) De hac re audiatur vir doctus Heinzius, qui o. l. p. 36, adn. 1 dicit: „die Identifikation der Penaten mit den *magni dei* macht sich Virgil zunutze, wo er ihre Macht hervorheben will: III 12 cf. VIII 679; die Figur der copulativen Epexegese (*penates et magni di:* vgl. Norden p. 127) tritt zum dritten Male auf in der Wendung *effigies sanctae divom Phrygiique penates* III 148: wenn die Penaten (nach der Tradition: Dionys. I 67) dem Æneas selbst im Traum erscheinen, müssen sie als Götter-*bilder* gedacht werden, und zwar natürlich als Miniaturbilder, da sie ja getragen werden, also wie die im römischen Hauskult verehrten *sigilla* ... Von einer Deutung auf bestimmte Gottheiten hat Virgil abgesehen".

quid Zeno iudicaverit Clemens Alex. tradidit: „*λεγεὶ δὲ καὶ Ζήνων ἐν τῷ τῆς πολιτείας βιβλίῳ μήτε ναοὺς δεῖν ποιεῖν μήτε ἀγάλματα ... ἱερὸν γὰρ μὴ πολλοῦ ἄξιον καὶ ἅγιον οὐδὲν χρὴ νομίζειν· οὐδὲν δὲ πολλοῦ ἄξιον καὶ ἅγιον οἰκοδόμων ἔργον καὶ βαναύσων*" [1]). Sic Seneca quoque iudicavit: „non templa illi (sc. deo) congestis in altitudinem saxis exstruenda sunt; in suo cuique consecrandus est pectore" [2]).

Preces secundum Senecae iudicium sunt inutiles: „non sunt ad caelum elevandae manus nec exorandus aedituus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat: prope est a te deus, tecum est, intus est"; nam „Fata inrevocabiliter ius suum peragunt nec ulla commoventur prece" [3]).

Haec sententia nonnullis locis apud Vergilium quoque invenitur e. g. A. VI 376. Minus recte igitur ad hunc locum mihi videtur Servius adnotavisse: „et locutus est secundum Epicureos, qui dicunt „nec bene promeritis capitur neque tangitur ira (Lucr. II 651)". Sed in universum homines pii apud Vergilium exspectant deos precibus invocatos se adiuturos esse.

Ut preces sic sacrificia Seneca reiecit: „vultisne vos deum cogitare magnum et placidum ... non immolationibus et sanguine multo colendum — quae enim ex trucidatione immerentium voluptas est?" [4]) Nec aliter de deorum simu-

---

1) Stoic. vet. Fragm. (Arnim) I 264. Cff. etiam alii loci ibi laudati.

2) Fr. 123 (ap. Lact. Inst. VI 25, 3) cf. Zeller, o. l. p. 322 adn. 1.

3) Ep. 41, 1; Nat. Quaest. II, 35 (Zeller l.l.). Recte tamen vir doctus E. Vernon Arnold, Roman Stoicism (Cambr. 1911), p. 11 dicit: „although they thus denounced in principle the whole existing system of public worship, the Stoics did not feel themselves prevented from taking part in it as a seemly and ancient custom (cf. Epict. Man. 31, 5)". Cf. de hac re etiam Zeller, o. l. p. 320, adn. 4; p. 322, adn. 4 in fine.

4) cf. supra, adn. 2.

lacris iudicavit Seneca[1]). Sed haec hactenus. Ex iis, quae sunt dicta, Vergilium non omnibus ex partibus cum Stoicis de pietate et religione consensisse apparuit.

Omnibus rebus, quas hoc capite examinare et investigare in animo habui, pertractatis ac perpensis, licet concludere hisce verbis: pietas apud Vergilium idem fere sonat ac religio, quae prorsus a superstitione abhorret; est pietatis casta et pura mente deos vereri ac venerari, quamquam timendi notio non abest; eos colere secundum Romani populi instituta nec non eos noscere eorumque praeceptis obtemperare et oboedire; quae omnia si quis observabit, ei omnia in patriam, in familiam in alios homines munera et officia bene honesteque erunt exsequenda.

1) Cf. Aug. de civ. dei VI 10 (Domb.): cum enim de simulacris ageret (sc. Seneca in eo libro contra superstitiones): „sacros, inquit, immortales, inviolabiles in materia vilissima atque inmobili dedicant, habitus illis hominum ferarumque et piscium, quidam vero mixto sexu, diversis corporibus induunt; numina vocant, quae si spiritu accepto subito occurrerent, monstra haberentur"

CAPUT SECUNDUM.

UTRUM VERGILIUS PLURES DEOS AN UNUM DEUM COLUERIT.

Deos imprimis venerari est pietatis apud Vergilium, sed utrum revera plures deos an unum deum esse putaverit hoc capite in animo habeo investigare.

Haec quaestio non inutilis esse mihi videtur duas ob causas.

Primo Romanum populum permultos, immo vero innumerabiles deos coluisse notum est, ita ut dixerit Petronius (17): „utique nostra regio tam praesentibus plena est numinibus, ut facilius possis deum quam hominem invenire" [1]). Augustinus dicens de „tanta deorum turba" [2]), „turba minutorum deorum" [3]), rogat: „quando autem possunt uno loco libri huius commemorari omnia nomina deorum et dearum, quae illi grandibus voluminibus vix comprehendere potuerunt singulis rebus propria dispertientes officia numinum?" [4]) Postremis his verbis Augustinus indicat, qua de causa innumerabiles fuerint dei, quoniam e. gr. „nec saltem potuerunt unam Segetiam talem invenire,

1) Cf. Wissowa, o. l. p. 26 adn. 1.

2) De civ. dei. IV c. 8.

3) o. l. c. 9.

4) o. l. c. 8. cf. c. 21.

cui semel segetes commendarent, sed sata frumenta, quamdiu sub terra essent, praepositam voluerunt habere deam Seiam; cum vero iam essent super terram et segetem facerent, deam Segetiam; frumentis vero collectis atque reconditis, ut tuto servarentur, deam Tutilinam praeposuerunt" [1]).

Accedit quod, quo plures gentes nationesque externas Romani in suam potestatem subigebant, eo maior etiam fiebat deorum numerus. Romani enim, qui erant „religiosissimi mortalium" [2]) atque „castissimi cautissimique" [3]) [4]), rationem habebant etiam deorum, quos aliae gentes colebant, cuius rei documento sunt verba Liviana: „di quibus est potestas nostrorum hostiumque" [5]).

Vergilii aetate innumerabiles deos cum indigetes tum alienos coli facile intellegetur. Revera apud eum inveniun-

---

1) o. l. c. 8. Cff. eodem loco haec: „unum quisque domui suae ponit ostiarium, et quia homo est, omnino sufficit: tres deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini". — Merito rogavit c. 21: „quid opus erat parturientibus invocare Lucinam...? Quid necesse erat Opi deae commendare nascentes, deo Vaticano vagientes, deae Cuninae iacentes, deae Ruminae sugentes, deo Statilino stantes e. q. s."

2) Sall. Cat. 12, 9 (Wissowa, o. l. p. 386). Cf. G. Appel, De Romanorum precationibus, p. 53 (Gissae MCMIX-Religionsgesch. Vers. u. Vorar., herausg. Wünsch u. Deubner VII Bd. 1908—09).

3) Gell. N. A. II 28: „propterea veteres Romani, cum in omnibus aliis vitae officiis, tum in constituendis religionibus atque in dis immortalibus animadvertendis castissimi cautissimique e. q. s."

4) Cf. Wissowa o. l. 113: „Die dem gesamten Polytheismus eigne Toleranz gegen fremde Religionen ist von den Römern, *die stets mit gewissenhaftester Sorgfalt darauf bedacht sind, keinem göttlichem Rechtsanspruche zu nahe zu treten*, in besonders weitem Umfange geübt worden, natürlich unter der Voraussetzung, dass dadurch die auf früher eingegangenen Vereinbarungen beruhenden Rechte der älteren Götter nicht geschmälert wurden."

5) VIII 9, 6 (Cf. Wissowa, o. l. p. 44).

tur permulta deorum dearumque nomina, e. g. Iuppiter, Iuno, Apollo, Mars, Saturnus, Venus, Mercurius, Iris, Vulcanus, Neptunus, Pluto, Proserpina, Cybele, Æolus, Ianus, Tellus, Silvanus, Pan, Liber, Ceres, Parcae, Proteus, Nereus alii. Itaque si memoria tenemus illud Petronianum, iam supra laudatum: „Vergilius Romanus", non inutile erit, ut opinor, indagare atque examinare utrum revera is plures deos coluerit necne.

Secundo hanc rem investigare non parvi esse momenti concedes, si perpendes id ipsum, quod maior fiebat deorum numerus, effecisse ut deos resque divinas permulti contemnerent ac neglegerent, neque oblivisceris, ad deorum despicientiam quod attinet, quanti fuerit momenti Graecorum philosophia et potissimum Euhemeri doctrina, quam in Romanorum notitiam perferebat Ennius [1]). Augusti temporibus veterem Romani populi religionem iacuisse dilucide patet ex ipsius verbis hisce: „duo et octoginta templa deum in urbe consul sex[tum ex decreto] senatus refeci" [2]), atque ex iis, quae Horatius canit:

„delicta maiorum immeritus lues,
„Romane, donec templa refeceris
„aedesque labentis deorum et
„foeda nigro simulacra fumo" [3]).

Ab altera vero parte ipsa hac re factum est ut nonnulli maiorum religionem in antiquum honoris locum restituere conarentur, quod facere Augustum studuisse notissimum est. Quae res utrum ei cordi fuerit an ab eo tantum rei publicae causa [4]) facta sit, in incerto relinquimus. Hoc

---

1) Cf. de hac re Wendland o. l. pp. 119—122.
2) Mon. Anc. 4, 17 (Wissowa p. 74 adn. 4).
3) Carm. III 6, 1.
4) Cf. Wissowa o. l. p. 73 ss.; Wendland o. l. p. 145 ss.

autem constat eum id fecisse, quod maximi fuisse momenti, mea quidem sententia, Fowlerus iure exposuit o. l. pp. 428—447: „The revival", inquit vir doctus, „of the State religion by Augustus is at once the most remarkable event in the history of the Roman Religion, and one almost unique in religious history" [1]). Quin in hac re facienda illi Vergilius fuerit magno auxilio nemo fere est qui dubitet, neque immerito Fowlerus dicit: „it was fortunate indeed for Augustus that he found in the great poet of Mantua one who was in some sense a prophet as well as a poet, who could urge the Roman by an imaginative example to return to a living pietas, — not merely to the old religious forms, but to the intelligent sense of duty to God and man which had built up his character and his empire" [2]).

Ex hisce postremis verbis apparet, nisi fallor, illum virum doctum putare Vergilium ad monotheismum, qui dicitur, inclinavisse [3]). Idem iudicat vir doctus Sellarus,

1) o. l. p. 428 (R. Exp. of the Rom. People).

2) Cf. „Social Life at Rome in the age of Cicero, pp. 325—6. Audiatur Wendland, o. l. p. 146: „die Entwickelung Vergils von Epikureischen Velleitäten und den gekünstelten Bucolica zu den anmutenden Schilderungen des Landlebens, endlich zum grossen Nationalepos, das Mythos und Geschichte, Diesseits und Jenseits, Ideale der Vergangenheit und aktuelle Tendenzen der Gegenwart, nationales und monarchisches Empfinden verschmelzend alles zu dem Gesamtbilde einer dem vorbestimmten Ziele zustrebenden grossen Entwickelung zu verbinden versteht, beweist, dass er die Höhe erreichte, indem er den Gedanken und Idealen der Zeit, deren Entwickelung er mit tiefstem Verständnis gefolgt war, die dichterische Verklärung gab". Cf. Plüss o. l. pp. 354, 356.

3) Cf. praeterea o. l. (R. Exp. of the Rom. People) p. 412: „the *munus hominum* is exactly what it is in the *Æneid*, duty to Man and the State, and as it is laid down for man by God, it is also duty to Him. The State finds its perfection in the individual, so long as he thus fulfills the will of God". Cf. praeterea p. 426, adn. 18.

qui dicit: „This tendency (sc. Romani populi) to multiply their deities, to deify mere abstractions, and to recognize a distinct deity as presiding over every common act and process of life, weakened or destroyed the sense of the personality of the gods, and thus indirectly promoted that advance to Monotheism which philosophy had made in a different direction" [1]).

Haec verba autem non omnibus ex partibus sunt probanda, quoniam opinio, secundum quam monotheismus (ut ita dicam) ex polytheismo sit profectus [2]), prorsus pugnat cum iis, quae nos Sacrae Scripturae docent. Contrarium autem multo potius est verum; ex illa enim defectione ab Uno ac Vero Deo factum est ut homines multos et falsos deos colerent. Factum quidem est ut homines exculti, qui philosophiae vacabant, non plures deos, sed unam divinam naturam, per omnes res diffusam, putarent esse. Sed haec doctrina ad pantheismum, ut aiunt, pertinens, non differt natura atque vi a polytheismo. Ex utraque enim doctrina divinam naturam eandem esse atque rerum naturam facile perspicitur [3]).

1) o. l. p. 223. Cf. E. Zeller, Rel. und Philosophie bei den Römern[2], (Berl. 1872) p. 47—48.

2) Cf. Wendland o. l. p. 97: „monotheistische Tendenzen können sich erst auf Grund einer langen religiösen Entwickelung herausbilden und durchsetzen". Cf. praeterea p. 105.

3) Cf. Dr. H. Bavinck, Wijsbegeerte der Openbaring, 1908, p. 157: „wij zijn er in de historie nooit getuigen van dat het polytheisme zich tot zuiver monotheisme ontwikkelt; als het polytheisme later de intellectueele kringen niet meer bevredigt, wordt het omgewerkt tot pantheisme, dat met het polytheisme het „Naturhafte" der Godheid gemeen heeft en de vele natuurgoden slechts tot ééne natuurgodheid samensmelt. Daarentegen zien wij het in de historie menigmaal gebeuren, dat het monotheisme zich niet ontwikkelt tot, maar langzamerhand vervalt en ontaardt in polytheisme en polydaemonisme". Cf. praeterea eiusdem viri docti Geref. Dogm. II (1908[2]) p. 162 ss.

Sed virum doctum Sellarum iis verbis allatis Stoicorum doctrinam spectavisse est probandum; nam illa doctrina de fato, quod omnia regit, quod non solum est „prima omnium causa, ex qua ceterae pendent" [1]), est „causa causarum" [2]), verum etiam „divinus spiritus per omnia maxima ac minima aequali intentione diffusus" [3]), iure dicitur (ut locutione Belgica utamur) „monotheistisch-pantheistisch."

Itaque cum multum pertinuisse ad Vergilium Stoicos constare videatur, hoc capite investigare id, quod supra est indicatum, operae pretium esse mihi videtur. Ad hanc rem indagandam in animo est disserere

1. de verbo, quod est „numen";
2. de voce, quae est „deus";
3. de Iove apud Vergilium:
   (*a*). de Iove in Bucolicis;
   (*b*). de Iove in Georgicis;
   (*c*). de Iove in Æneide:
      i. de epithetis Iovis;
      ii. de ratione quae Iovi cum hominibus intercedat;
      iii. de ratione quae Iovi sit cum ceteris diis.

1. De verbo, quod est „numen".

Numinis vocem derivatam esse a verbo „nuo" [4]), quem ad modum vocabulum „flumen" a verbo „fluo", inter omnes fere viros doctos constat, neque dubium est quin suffixum „men", quae proprie dicta participii est forma,

1) Seneca, De benef. IV 7, 2 (Zeller o. l. p. 146 adn. 1).

2) Sen., Nat. quaest. II 45, 1 (Ibidem).

3) Sen. Cons. ad Helv. 8, 3 (Zeller, p. 147 adn. 4).

4) Cf. Alois Walde, Lat. Etym. Wörterbuch, Heidel. 1910², in voce „nuo".

indicet aut quod aliquid facit aut patitur aut quo aliquid perficitur; sic nomen est quo novimus, carmen id quod canitur, fulmen id quod fulget, numen id quod nuit [1]). Verbum igitur, quod est „numen", vim activam habet [2]), atque, cum a viro docto Waldio vocis, quae est „nuo", dicantur significationes: „nicken, winken ... *befehlend zunicken*", licet statuere vocabulo huic inesse *voluntatis* notionem.

Iure mihi quidem videtur vir doctus von Domaszewskius hanc vocem definiisse dicendo: „die unbestimmte Ursache solcher Wirkungen nennen die Römer *numen, ein wollendes Wesen*" [3]). Ratio vero, qua in hominum animis hanc notionem esse exortam arbitratur, minime est probanda. Argumentatio est haec: homines vident in arboribus moveri ramos et folia. Huiusce motus quae sit causa rogatur, atque in hac re explicanda a se ipsis homines proficiscuntur. Quem ad modum suorum corporum motus tribuuntur voluntati, sic mutationes rerum, quae extra sunt, ad causas nostrae voluntati similes referuntur [4]).

Quae summa eiusmodi ratiocinationis sit, patet ex iis,

1) Cf. R. Kühner, Ausf. Gramm. der Lat. Sprache, I (1912²) § 219, 4b (γ).

2) Cf. Fowler, R. Exp. of the R. P., p. 118; „it (sc. numen) must be formed from *nuere* as *flumen* from *fluere*, with a sense of activity inherent in the verb. As *flumen* is that which actively flows, so *numen* is that which actively does, whatever we understand by the word *nuere;* and so far as we can determine, that was a manifestation of will. *Adnuere* is to consent, to give your good will to some act proposed or completed, and is often so used of Jupiter in the *Æneid*. *Nuere* should therefore express a simple exercise of will-power, and *numen* is the being exercising it".

3) Cf. A. von Domaszweski, Abhandlungen zur Römischen Religion, (Leipz. u. Berlin 1909) p. 157.

4) o. l. p. 157: „So nehme ich an jenem Lindenbaume wahr ein Zittern des Wipfels, eine Bewegung der Zweige, ein Rauschen der Blätter, ein

quae de numinis veneratione dicit. Haec enim venerandi consuetudo emanat ex ratione, quae inter homines est. Nam ut homines inferiores donis dandis aliisve rebus faciendis superiores sibi conciliare conantur, sic ad numen quod attinet agunt homines[1]; nec non omittenda sunt ea, quae de dei notione exponit dicens: „der persönlich gedachte Gott ist nicht anders entstanden als der persönlich gedachte Baum. Wie der im Baume lebende Wille sich in Wirkungen äussert, so auch der persönlich gedachte Himmel. Durch die feste Umgrenzung des Numen und die dauernden Wirkungen seiner Willensäusserungen ist

---

Duften der Blüten. Woher kommen diese Veränderungen an den Gegenständen? Das ist die unendlich schwierige Frage für das erste Denken. Nun sind wir uns bewusst, dass wir selbst Veränderungen unseres eigenen Zustandes durch einen Entschluss unseres Willens hervorrufen. Wie wir unsere Gliedmassen bewegen, so bewegt der Baume seine Zweige, wie wir unsere Stimme ertönen lassen, so der Baum sein Rauschen. Dies führt uns darauf, die Veränderung an den Gegenständen der Aussenwelt auf Ursachen zurückzuführen, die unserem Willen gleichartig sind. Dann ist die uns umgebende Natur von wollenden Ursachen erfüllt, deren Wirkungen überall da hervortreten, wo wir eine Veränderung an den Gegenständen der Aussenwelt wahrnehmen." Eodem modo ratiocinatur vir doctus Wendlandius o. l. p. 97: „wo der primitive Mensch Wirkungen beobachtet und erlebt, die er nicht erklären kann, in der Gewalt des Feuers, im Blitz und Donner, Regen und Sturm, im fliessenden Wasser und im wogenden Meer, empfindet er eine rätselhafte Macht, die stärker sein muss als der Mensch, weil sie sich nicht fassen und greifen lässt. Er stellt sich als Träger der Kraft ein Wesen vor, das er nach Analogie des eigenen Wesens mit Bewusstsein und Willen begabt denken muss. Eine Fülle von Seelenwesen, die hinter den Phänomenen stehen, projiziert er in die Natur."

1) o. l. p. 158: „diese Verehrung des Numen ist wieder eine Vorstellung, die der Mensch dem Verhältnis der Menschen unter einander entnommen hat. Wie der Schwächere unter den Menschen durch Unterwerfung, Verehrung, durch Gaben und Spenden den Willen der Mächtigeren sich geneigt zu machen sucht, so verfährt der Mensch auch gegenüber dem Numen."

der persönliche Gott erwachsen, der deus. *Der Mensch hatte den Gott nach dem Urbild seines eigenen Geistes geschaffen"* [1]). Haec conclusio necessario sequitur ex iis, quae huiusce disputationis initio dixit: „um die ältesten Vorstellungen der Römer vom Göttlichen zu begreifen, ist es notwendig, sich klar zu werden, wie die Menschen von den Ideen der Vernunft geleitet zur Annahme göttlicher Wesenheiten gelangen" [2]).

Contra habeo pauca quae dicam. Dei enim cognitionis, quam homines natura habent, causa in eo est posita, quod „*τοῦ ... καὶ γένος ἐσμέν*" [3]), ad Eius imaginem et similitudinem facti [4]). Quamquam propter illam defectionem homines sunt „*ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ, ὄντες ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ* [5]), tamen Deus cognosci potest, nam „*τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ Φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς· ὁ Θεὸς γὰρ αὐτοῖς ἐΦανέρωσεν. τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασιν νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης*" [6]). Leges divinae hominum mentibus sunt insculptae: „*οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν*" [7]). Audiatur de hac re ille Calvinus: „hoc quidem recte iudicantibus semper constabit, insculptum mentibus humanis

---

1) o. l. p. 161.

2) o. l. p. 155.

3) Act. Apost. XVII : 28. (Cf. Arat. Phaen. vs. 5).

4) Gen. I 26.

5) ad Ephes. IV 18.

6) ad Rom. I 19, 20.

7) ad Rom. II 15. Eadem fere leguntur apud Æsch. Suppl. (edit. Weckl.) vss. 715—18; Soph. Ant. (ed. Dind.) vss. 454—5; (cf. F. F. C. Fischer, De deo Aeschyleo, Amstel. 1892 (Diss.), p. 8). Cf. Cic. de nat. deor. I § 44: „intellegi necesse est esse deos, quoniam insitas eorum vel potius innatas cognitiones habemus."

esse divinitatis sensum, qui deleri non potest"[1]), atque „se ad colendam iustitiam natos esse intelligunt, in quo inclusum est religionis semen"[2]). Sed haec satis; de hac re fusius disputare huiusce loci non est. Revertamur igitur ad rem, de qua disceptatur.

Invenimus vocabulo, quod est „numen", voluntatis notionem inesse; cum hac autem significatione maxime cohaerere potentiae notionem negari non potest. Porro cum Romani quoque diis esse summam potentiam putaverint, voce, quae est „numina", significari deos facile intellegetur. Ex hisce tribus significationibus aliae emanavisse mihi videntur. Sed transeamus ad locos investigandos, ubi hoc verbum invenitur. Ordimur ab iis locis, quibus ea voce *dii* videntur esse intellegendi.

(*a*). Scriptum legitur G. I 10: „et vos, agrestum praesentia numina, Fauni", quem ad locum est conferendus E. I 41: „nec tam praesentis alibi cognoscere divos". Licet statuere utroque loco eosdem dici deos, qui rei agriculturae et ruri praesint, quique ex agricolarum sententia sint „propitii", „faventes". — G. IV 7, ubi legitur: „si quem numina laeva[3]) sinunt", „numina" esse deos apertum ac

---

1) Instit. I 3, 3. Cf. II 2, 18: „praebuit quidem illis exiguum divinitatis suae gustum, ne ignorantiam impietati obtenderent." (edit. Baum-Cunitz-Reuss, Brunsvigae, 1864).

2) o. l. I 15, 6. Cf. verba quae sequuntur: „sicut autem absque controversia ad coelestis vitae meditationem conditus fuit homo, ita eius notitiam animae fuisse insculptam certum est." — Cf. de tota hac re H. Bavinck, Geref. Dogm. II (1908[2]) p. 29 ss.

3) Non satis est causae, cur putemus cum Servio et aliis vocem, quae est „laeva", idem sonare ac „prospera", non „adversa", quam significationem — ne alias afferamus causas — verbum „sinunt" indicare videtur. Omnino mihi convenit cum viro docto Coningtone, qui de huius adiectivi usu ad locum bene disputavit.

manifestum est nec ulla causa est cur cum Heynio hoc loco de augurio dici censeamus. — Eadem ratione G. IV 453, ubi inveniuntur haec: „non te nullius exercent numinis irae", mentio fit de aliquo deo. Consentaneum est hoc versu poetam spectasse Nymphas, sicut e vs. 532 ss. apparet, neque Orpheum, de quo secutus Aspri opinionem, a Serv. Daniel. ad. loc. laudatam, vir doctus Georgii[1]) coll. vs. 545 cogitandum esse putavit. — Quod attinet ad G. IV 505: „quo fletu manes, quae numina voce moveret?" patet, nisi fallor, verbo, quod est „numina", intellegi deos inferos (cf. praeterea A. VI 266, 324, VII 571), quamquam non adsentior viro docto Coningtoni dicenti in deorum superorum ditione potestateque has res non esse. Hanc autem sententiam non esse probandam demonstrant ea, quae A. IV 422 ss., VI 749 ss., aliis locis leguntur.

In Æneide eadem huiusce verbi vis invenitur locis qui sequuntur: I 603; II 141; II 735; III 264, 634; vs. 697: „iussi[2]) numina magna loci veneramur"; IV 382, vss. 520—1: „tum, si quod non aequo foedere amantis Curae numen habet iustumque memorque, precatur"[3]), quo loco duae

---

1) Cf. Ladewig—Schaper (Jahn 1912[13]), Appendix.

2) Verba, quae sunt „ab Anchise", esse subaudienda facile colligi potest ex vss. 189, 267, 472, 558; quam ob rem minus recte de Achaemenide aut Heleno cogitandum esse Servius putasse mihi videtur. Iniuria vir doctus R. Dietschius (Theologumenon Vergilianorum particula, Grimae, 1853 p. 3 adn. 20) cum putaret Æneae et sociorum pietati detrimento esse et id quod de iis dicitur: „iussi numina veneramur" et id quod verbum „iussi" versus initio positum graviter usurpatur, censuit scribendum esse hoc: „ergo numina magna loci veneramur". Id vero minime est probandum. Pietas enim mihi videtur dilucide apparere ex eo ipso quod illi *iussi* obtemperabant. Cf. A. IV 393 ss.: „At pius Æneas ... Iussa tamen divom exsequitur".

3) Vocem „numen" pendentem a verbo „precatur" subaudiendam esse viri docti recte iam adnotaverunt.

illae res, numinis divini apud Vergilium propriae, sc. iustitia ac misericordia, luculenter cognoscuntur, quod idem capite primo iam invenimus; V 466; VI 68 [1]); VII 570; VIII 186; X 375; XII 182, 201.

A. II 396 verbum, quod est „numen", significare deum aut potius deos, inter omnes fere viros doctos constat, quamvis alii ab aliis differant de interpretandis verbis, quae sunt „haud... nostro". Hac in re autem cum viro docto Coningtone ob causas allatas omnino facere possum. — Quamquam II 622—3, ubi legimus: „Apparent dirae facies inimicaque Troiae Numina magna deum", numina esse deos nemo negabit, tamen verbi vis quadam ratione latius patet, quem ad modum Conington iure adnotavit: *„numina* as we might say *the powers:* more emphatic here than *di* as it is the exertion of a superhuman power on which we are meant to dwell".

(*b*). Hinc facile transitur ad locos, quibus numinis voce poeta videtur significare *divinam auctoritatem* aut *potentiam.* Hoc imprimis videtur indicari A. I 48:

„et quisquam numen Iunonis adorat
„praeterea, aut supplex aris imponet honorem?"

Cur enim eam invocarent homines supplices, si dea esset inferior Troianis, „qua una cum gente tot annos bella gerit(o)" (vs. 47)? Cum hoc loco cf. A. III 437: „Iunonis magnae primum prece numen adora." Minus recte igitur hisce locis numinis voci inesse voluntatis aut

1) Ad hunc locum iure admonuit Dietschius „quam late apud Latinos, non poetas tantum, consuetudo pateat generalibus per particulas copulativas magis definitorum subiungendorum. Sic hoc loco *errantis deos* definitur adiuncto: *agitata numina Troiae*, quasi: deos, dico eos, qui Troiae imperant" (o. l. p. 4).

iussi aut veniae vim putavisse Dietschius [1]) mihi videtur. Sane concedo veniae notionem inesse, sed potestatem vel auctoritatem intellegi praestat. Quam potestatem suam esse victam aut prostratam Iuno dicit VII 297: „at, credo, mea numina tandem Fessa iacent, odiis aut exsaturata quievi", nec satis magnam esse vs. 310: „quod si mea numina non sunt Magna satis". Numerus pluralis, aliquid maius et gravius significans, usurpatur quamquam sola de Iunone est sermo. — Nec aliter iudicabis de voce „numina" A. I 666: „ad te (sc. Amorem) et supplex tua numina posco", si voces, quae sunt „confugio" et „supplex" et „mea magna potentia" (vs. 664), perpenderis, quamquam tenendum est ad deum Amorem quod attinet poetam usurpasse figuram quae dicitur prosopopoeïam. Huic loco licet addere A. VIII 382 [2]); eodem modo de Octaviani auctoritate sermo est G. I 30: „tua nautae Numina sola colant".

Porro I 674, ubi legitur: „ne quo se numine mutet", Iunonis potentiam esse intellegendam facile perspicitur, quam ob causam Coningtonis haec verba: *„quo numine* may either be rendered generally by any power but mine", minus probanda esse mihi videntur.

Eadem huiusce verbi significatio invenitur A. II 154 ss.: „vos, aeterni ignes, et non violabile vestrum Testor numen" [3]), cui loco addas A. VI 324. Idem sonat verbum A. II 232, 702 (cf. IX 247).

1) o. l. p. 4.

2) Vir doctus Ribbeckius *„nomen"* pro *„numen"* esse legendum censuit, quod alii viri docti recte iam reiecerunt.

3) Aptissime de hoc loco Dietschius o. l. p. 5 adn. 25 iam monuit „summa arte poetam Sinonem ita iurantem fecisse, ut Troiani ei crederent et tamen ipse fidem servaret. Etenim cum sidera illud non vidissent, vere iuravit sibi nefas esse Graecorum iura resolvere nec vero Troiani dubitant, quin illa rescindat".

Libri quarti vs. 611: „accipite haec meritumque malis advertite numen", recte vir doctus Heynius interpretatus est vocabulum „numen" hac ratione: „vim ac potestatem deorum inferorum ulciscendi", minus vero recte vocem, quae est „malis" ad malos homines referendam esse putavit; praestat de malis *meis* cogitare cum Wagnero. Apte cum hoc loco comparavit Dietschius[1]) Hor. Epod. V 51—54: „Nox et Diana... Nunc, nunc adeste, nunc in hostilis domos Iram atque numen vertite".

Quod attinet ad A. X 220: „quas alma Cybebe Numen habere maris", minus recte intellegi numina i. e. deas, laudatis IX 101—2, viri docti Heynius, Wagnerus alii putaverunt, quoniam locutione, quae est „numen habere", multo potius cogimur de potestate divina cogitare, sicut viri docti Dietschius[2]) et Conington iam notaverunt.

Restat ut hic dicatur de duobus locis, quibus utrum vox „numen" an „nomen" legenda sit, viri docti inter se discrepant. Loci sunt A. IV 94, V 768.

Loco posteriore legimus:

„visa maris facies et non tolerabile numen".

Plerique viri docti voci, quae est „numen", anteponendum esse vocabulum „nomen" arbitrantur[3]). Iniuria, ut opinor. Non solum lectio, quae est „nomen", leviter est confirmatus codicibus aliisque scriptis traditis, sed haec vox ad sententiam omnino non quadrare mihi videtur. Si vocabulum „nomen" legeretur, sententiae vis esset haec: ut ne auditu quidem tolerabile esset. Sed cur de

1) o. l. p. 4.

2) l.l.

3) Ceterae lectiones, quae sunt *lumen* et *caelum*, iure a nullo, quod sciam, vindicantur.

hoc: ***audire maris nomen*** cogitandum esse in hoc textu, qui dicitur, atque in iis, qui semper fere mare ante oculos habebant, censeamus prorsus nulla est causa. Vulgaris enim locutio—ut Belgicis utar verbis: „hij wilde dat niet zien noch daarvan hooren", tantum, nisi fallor, usurpatur cum ipsa res, de qua agitur, non cernitur. Hanc ob causam lectionem, quae est „numen", quamque omnes fere codices praebent, longe anteponendam esse puto. Iis enim Troianis, de quibus est sermo, mare visum est asperum, qua de causa facile intellegitur cogitatum esse de maris potestate, violentia, vi, quam perferre vel sustinere non posse homines viderentur. Porro illam vim illi Troiani quidem vim divinam putavisse vix opus est dicere. Utrum ea maris vis vocetur divina quod ipsum mare habendum sit deus[1]) an quod in mare dii habeant potestatem[2]), nihil interest.

Quod ad A. IV 94, ubi legitur: „tuque puerque tuus; magnum et memorabile numen", lectio, quae est „numen", retinenda esse mihi videtur, quamvis plerique viri docti pro ea scribendum esse vocabulum „nomen" censeant. Cum iis vero facere non possum has ob causas: (*a*) optimi codices fere omnes vocem „numen" praebent; (*b*) vox, quae est „numen", hoc loco maioris est momenti quam verbum „nomen", cuius notio versu priore iam est inclusa; verbo enim, quod est „numen", scribendo poeta in medio ponit novam sententiam, pertinentem ad divinam potentiam, quae ipsa res cordi est Iunoni (cf. VII 297, 310); (*c*) argumenta, quibus ducti vocabulum „numen" reiciendum esse viri docti putaverunt, sunt leviora: (*α*) opinio viri docti Peerlkampii contendentis adiectivum „memora-

1) Cf. vs. 776, VI 351, XII 197.

2) Passim.

bilis" de virtute aut potentia dici non posse iam diu iure impugnata et reiecta est a viris doctis: (β) vir doctus Dietschius reiecit id verbum, cum pronomen possessivum „vestrum" omitti non posse existimet, quod non video: (γ) vir doctus Ribbeckius revocat ad A. II 583 et Ov. Metam. X 608, sed hanc ob causam id quod recte traditum est praetereaque optime in sententiam quadrat reiciendum esse nemo fere est qui contendat [1]).

(*c*). Notio ***divinitatis, divinae maiestatis*** artissime cum potentiae divinae notione cohaeret, ita ut eosdem locos modo ad hanc, modo ad illam vim indicandam laudari nemo miretur. Cuius rei ut exemplum adferam, nonnulli loci supra laudati pertinentes ad Iunonis potentiam, sc. A. I 48, III 437 hic quoque sunt afferendi. Vis maiestatis luculenter patet ex A. III 543: „tum numina sancta precamur Palladis armisonae".

Hic mihi videtur dicendum esse de A. I 8, qui locus difficillimus ac paene crux interpretum est. Scriptum legitur:

„Musa, mihi causas memora, quo numine laeso
„quidve dolens regina deum tot volvere casus
„insignem pietate virum, tot adire labores
„impulerit".

Omnes fere codices praebent lectionem, quae est „quo

---

1) Artis criticae, quas sequor, rationes continentur viri docti J. Woltjeri opere, quod inscribitur, „Overlevering en Kritiek, Amsterdam 1886. Cf. p. 10: „grondslag der kritiek is de betrouwbaarheid der overlevering"; p. 30: „dat het ... de plicht van den philoloog is om zich eerst geheel aan de overlevering over te geven, en door die overgave haar te verstaan, tot haar eigenlijken zin en bedoeling door te dringen, dat het hem dus niet past aan zijne subjectieve opvatting den teugel te vieren; aan zijne vindingrijkheid en vernuft vrij spel te laten, maar dat hij alleen op zeer vaste, ja onwrikbare gronden van haar mag afwijken". Cf. praeterea p. 36.

numine laeso". Ea verba etiam inveniuntur papyraceo volumine, quod sinistra manu tenet Vergilius musivo pictus, quod simulacrum pertinere ad primum aut secundum saeculum p. Chr. n. videtur constare [1]). Itaque de lectione non dubitandum est; tantum rogatur quonam modo verba, quae sunt „quo numine laeso", sint interpretanda. Huiusce loci Servius laudavit tres explicandi rationes: (*a*) „*quo* in quo, in qua causa"; (*b*) „Iuno multa habet numina: est Curitis ... est Lucina, .. est regina ... sunt et alia eius numina, merito ergo dubitat quod eius laeserit numen Æneas"; (*c*) „alii tamen dicunt separandum esse, ut de odio Iunonis non dubitet, quaerat autem quod aliud numen est laesum". Quibus Servius Dan. addidit quartam: „alii *numen* voluntatem accipiunt".

Primam illam, a viro docto Heynio aliisque acceptam, plerique viri docti reiecerunt, quippe quae sit durior; ad illam secundam quod attinet, mea quidem sententia demonstrari non poterit Vergilium numinis vocem ita usurpasse ut potentiae partem vel munus significet; nec vero tertia illa bene se habet, cum post verba dicta vs. 4: „saevae memorem Iunonis ob iram" veri sit dissimillimum hoc versu quaeri „quod numen laesum sit"; accedit quod ex particula „ve" concludi non potest haec: „quo numine laeso" et „quidve dolens regina", alterum ab altero separandum esse, cum haec particula, secundum Vergilii usum, saepissime atque imprimis in rogationibus indicare videatur duas res artissime inter se cohaerere. De hac re conferantur Wagn. Quaest. Virgil. XXXVI §§ 3,5. Fortasse magis est probanda interpretatio a Serv. Dan. laudata, quam permulti acceperunt. Sed Dietschius iure scripsit verbi „laedere" usum ei interpretationi obstare, semper

---

1) Cf. Lad.-Schaper. (Jahn 1912^{13}) Appendix.

enim dicti „de rebus minuendis, perdendis, dehonestandis, aut de animi offensione et exacerbatione, numquam de impediendo, prohibendo, repugnando, negligendo" [1]).

Equidem, omnibus consideratis ac perpensis, quae de hoc loco multi variique viri docti disputaverunt, virum doctum Wagnerum hunc locum recte interpretatum esse non possum non concedere. Is vir doctus, postquam, multis locis ex Vergilianis carminibus laudatis, demonstravit pronomen relativum „quo" saepissime usurpari pro locutione „quo modo", dicit haec: „itaque verba *quo numine laeso* hanc habent vim: *quomodo laeso eius numine*, ita quidem, ut *quo* non sit absolute positum, sed cum *numine* iungendum", ubi vocabulum „numen" idem sonat ac verba „maiestas divina". Cum hac enim significatione laedendi notionem optime coniungi posse vix opus est dicere. Iniuria igitur revocatur ad A. II 183, ubi ea vox aliam habere videtur vim.

(*d*). Iam transeundum est ad locos, quibus eam vocem habere *voluntatis* vel *iussi* significationem videtur constare. Hanc vim dilucide patere ex Ec. IV 47, ubi legitur

„Talia saecla" suis dixerunt „currite" fusis
concordes stabili fatorum numine [2]) Parcae,

consentaneum est, [3]) quodcunque iudicium fert aliquis de huiusce loci aliis rebus, quas infra tractaturus sum. Eadem fere verba inveniuntur Cir. 125: „concordes stabili firma-

---

1) o. l. p. 4.

2) Vir doctus Géza Némethy, Egyetemes philol. Közlöny XXV 1901, pp. 337—342, coniecit pro „*numine*" scribendum esse „*nemine*" (= stabile filum fatorum nentes) [Cf. Lad.-Schap (Deuticke 1907[2]) Appendix]. Hanc coniecturam omnino non esse probandam infra ostendam.

3) De iis, quae vir doctus P. Corssen de hisce versibus scripsit in Berl. Ph. W., anni MCMXIV, m. Ian., col. 160, infra agam.

rant numine Parcae" [1]). Quos ad locos conferendus est A. XII 188. Recte ad hunc locum mihi videtur vir doctus

---

1) Recentissimis temporibus de hoc epyllio multi variique viri docti disputaverunt. Magnam enim movit controversiam vir doctus Skutschius, qui eximiis duobus libellis, iam supra laudatis, non solum esse hoc carmen a C. Cornelio Gallo scriptum, sed etiam ab hoc epyllio complures locos mutuatum esse Vergilium demonstrare conatus est. Nec mirum est multos viros doctos, e quibus dico Leonem, Jahnium, Krollium, Vollmerum, Drachmannium, Ehwaldium, Knaackium, ei rei a Skutschio non temere prolatae, sed gravibus argumentis confirmatae magnam operam mox dedisse; eum alii laudabant, impugnabant alii, iique maior pars. Attamen dubitari non posse mihi videtur, quin „Ciris" sit Vergilii temporibus scriptum atque hoc epyllion cum operibus Vergilii artissime ita cohaereat ut haecne an illud prius fuerit non facile internoscas atque diiudices. Audiatur de hac re vir doctus Schansius o. l. § 241: „im Jahre 1906 trat Skutsch mit einer neuen Schrift auf den Kampfplatz. Der Entwicklung des Streites gemäss musste die Prioritätsfrage der Leitstern sein und demnach die künstlerische Form, die so bestrickend in der ersten Schrift gewirkt hatte, aufgegeben werden. Wo sich Aehnlichkeiten zwischen Vergil und der Ciris vorfinden, wird Stelle für Stelle vorgenommen und im Gegensatz zu Leo überall die Priorität der Ciris vor Vergil statuiert, dagegen die Originalität Vergils abgelehnt. Bald nach erscheinen dieses Buches, im Jahre 1907, ergriff wieder Leo das Wort. Auch der Kern seines zweiten Aufsatzes bildet die Prioritätsfrage. Es bot sich nun ein merkwürdiges Schauspiel dar; zwei ausgezeichnete Philologen behandeln die Frage, wo ist das Original und wo ist die Kopie, und wo der eine das Original erblickt, sieht der Andere die Kopie. Und die Sache wird nicht besser, wenn man andere Stimmen anhört; es findet sich hier derselbe Wechsel der Anschauung. Gewiss wird manchen Philologen angesichts dieses Vorganges ein niederdrückendes Gefühl beschlichen haben". Facere non possumus quin hic laudemus ea, quae vir doctus Mackailius de hac re agens o. l. capitis, quod inscribitur „Virgil and Virgilianism", p. 58 ss. dicit: „But the two young poets (sc. Vergilius et Gallus) were not only linked by a close friendship, and inspired by common aims and enthusiasms. They worked at their art together. Their poetry in those years sprang up between them, in the interaction and mutual influence of their two minds... 'Great contemporaries' said a famous critic long ago, 'whet and cultivate each other; and mutual borrowing and commerce makes the common riches

Conington, coll. Ov. Metam X 430, adnotavisse: „*numine* almost in its literal sense; with their nod" [1]).

In Æneide non dubii sunt hi loci: I 133, II 336, 777, IV 269, V 56, VI 266, 368, VIII 574, IX 661, X 31, XI 232, 901 [2]), XII 180.

Quod ad VII 584: „(cuncti... bellum) contra fata deum perverso numine poscunt", viri docti inter se de vocibus, quae sunt „perverso numine", explicandis discrepant.

Servius adiectivum „perverso" voce „irato" interpretans putare videtur vocabulum „numen" hoc loco idem significare ac deum, quam opinionem Conington probat, quamquam allatis E. III. 13 et aliis adiectivum „perversus" idem quod adi. „malignus" sonare censet. Viri docti Heynius et Wagnerus etiam deorum voluntatem intellegi arbitrantur. Mihi autem numinis vocabulum videtur referendum esse non ad deos sed ad homines, qui neglegentes ac contemnentes omina ac fata deum poscunt bellum, quam ob causam merito dicuntur „perversi", quoniam „caecum" est consilium (vs. 591). Praeterea, si

of learning'. This is true of poetry as well as of other branches of literary art. Gallus was a borrower, if we must use the word, as well as Virgil: the *Ciris* is full of borrowings, and it is more likely than not that among them are borrowings from Virgil. What Virgil may have lent he had the right to resume, as what he borrowed he had the right to keep. Both were his own". Haec sententia optime se habere mihi videtur.

1) Cum hic locus tum quattuor ii, qui sequuntur, supra laudati, demonstrant, nisi fallor, Dietschium o. l. p. 3 adn. 17 contendentem discrimen esse inter voces, quae sunt, „numen" et „nutus", erravisse. Cf. Coningt. ad locos atque Munroi adnot. ad Lucret. II 632. Cf. praeterea Catal. III 9.

2) Adiectivum, quod est „saeva" idem sonare atque „adversa" „infesta" recte mihi videtur Heynius iam vidisse. Cf. Dietsch. o. l. p. 6 adn. 38.

vera esset interpretatio, supra laudata, hic inveniretur tautologia, ut aiunt, et vere Vergilius loquax haberetur [1]).

(*e*). Voluntatem suam per *oracula* dii indicant. Nonnullis igitur locis numinis verba oracula, dicta deorum significantur.

Legimus A. II 122—123:

„hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
„protrahit in medios; quae sint ea numina divom
„flagitat."

Ratione habita eorum, quae inveniuntur vss 116—119, hic sermonem esse de deorum voluntate, per oraculum edita, facile intellegitur; melius quam Servius, qui numina tantum esse oracula putat, Heynius interpretatur: „quae voluntas Phoebi et sententia oraculi sit." Vir doctus Dietschius, qui iniuria, mea quidem sententia, numinis verbum umquam significare oraculum negat [2]), locum exponit hunc in modum: „qui sint ii dii, scilicet, qui tam atrocia postulent, ut quasi dubitans nec credens id fieri posse quaerat Ulixes, num dii sint, qui talia postulare possint."

Hanc explicandi rationem, a Burmanno iam prolatam [3]), non esse probandam vir doctus Heynius vidit, ratione versuum 127, 129 habita; praeterea hac inter-

1) Cf. Dietsch. o. l. p. 5: „et merito profecto Vergilius loquax iudicaretur, si *perverso numine* de oraculo aut de voluntate divina intelligi voluisset, quasi utrumque non satis expressum esset verbis *contra omina* et *contra fata deum*. At quid magis nefarium est, quam deorum imperium pervortere, quod nonne is facit, qui contraria iis, quae illi iusserunt, poscat?"

2) o. l. 3: „non minus manifestum est (illud vocabulum) per se significare neque iussum neque oraculum — eo enim effantur suam voluntatem dii, non potentiam exercent."

3) Cf. Heyne—Wagner.

pretatione pronomini „ea" supponi videtur significatio, quam hoc loco habere non potest, quoniam, nisi fallor, hic tantum nos revocat ad ea, quae vs. 116 ss. commemorantur. — Transeo ad locum A. III 363: „et cuncti suaserunt numine divi Italiam petere", quem ad locum Servius iure adnotavit: „*numine* autem oraculo significat", atque Heynius: „*numine*, etiam hoc pro effato divino et sorte". Hanc interpretationem non probasse Dietschium per se intellegitur [1]); illud verbum enim oraculum significare non potest. Quid hoc loco? Potentiam. Qua de causa? Non admonetur aliquis oraculo, sed iubetur. Nonne verbum, quod est „suadeo", melius quadret ad vocem „numen", si significet oraculum, non potentiam? — Eodem modo sagacius quam verius is vir doctus verbi „numina" vim exponit A. VIII 78: „adsis o tantum et propius tua numina firmes". Omnes fere viri docti numina esse oracula vel promissa iure dicunt. Tantum abest ut Dietschius rem ita se habere concedat, ut Æneam faciat dubitantem de potentia dei, qui eiusmodi facinus aegre non ferat! Sed audias ipsum: „quid igitur restat, quod precari possit? Scilicet quo fidentiore animo periclis obviam eat, ut deus sese ad promissa perficienda satis potentem esse ostendat. Quod laedere non potuit Tiberinum, quippe qui minorum gentium deum et tum primum ab Ænea cognitum se esse sciret" [2]). — Porro A. VII 119 voce „numine" non solum significari oraculum sed etiam

---

1) o. l. p. 5: „mihi vero satis certum videtur, oraculis deos non suasisse Æneae ut Italiam peteret, sed illud ipsum iussisse. At qua ratione Æneas, ut lubens sequeretur iussa deorum, confirmari potuit? Scilicet cum ex rebus, quae ei acciderent, sentiret, vere ita velle deos, ad eumque finem cursum dirigere. Ergo potentia sua, quam sensit, suaserunt divi, ut oraculis oboedientiam praestaret."

2) o. l. p. 6.

potentiam, per quam oraculum mirum quantum eventum acceptum habuerit [1]), perspicuum est. Eadem ratio de locutione, quae est „numina poscunt" (VIII 512), iudicandum est. Dei enim poscunt, sed poscunt per oracula (cf. vs. 499 ss.).

Denique si perpenderis A. III 359: „Troiugena, interpres divom, qui numina Phoebi (sentis)", concedes eius verbi vim latius patere, ita ut non solum oraculum, sed etiam divinus furor aut adflatus, quo concitatus vates futura praedicit atque oracula edit, significetur. Haec vocis vis magis elucet ex aliis locis, quos ad tractandos iam transimus.

(*f*). E locis, quibus vocabulum „numen" significare videtur *divini spiritus flatum*, ut ita dicam, praecipuus est A. VI 50:

„maiorque videri
„nec mortale sonans, adflata est numine quando
„iam propiore dei."

Interpretationem Servii, secundum quam Sibylla est nondum deo plena, sed adflata vicinitate numinis, iure impugnavit Conington. Recte enim scripsit voces, quae sunt „adflare" et „adflatus", vulgo usurpari, quem ad modum vocabulum ἐπιπνεῖν eiusque synonyma, ut vatem divino quodam furore esse correptum ostendatur. Quod idem fieri de Sibylla manifestum est [2]). Deum alio loco vatum „animis inlabere" (III 89) dicit poeta, quod si memoria tenemus, facile intelleguntur de Sibylla haec: „bacchatur vates, magnum si pectore possit Excussisse

---

1) Cf. Coningt. ad loc.

2) Cf. E. Norden, Aen. VI pp. 143—4. — Maxime mirum est virum doctum Nordenium de numinis verbi significatione apud Vergilium ne unum quidem verbum (quod sciam) dixisse.

deum" (VI 78). Haec animi condicio se indicat externis signis [1]: „non voltus, non color unus, Non comptae mansere comae; sed pectus anhelum, Et rabie fera corda tument: maiorque e. q. s." At vatum non solum voces, facies aliaeque res corporales mutationes habent, sed etiam mentis facultates ita excitantur, ut res futuras clarius cernant, ut colligendum est ex his: „magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates" (vss. 12, 13). — Eadem ratione licet iudicare de A. III 372, ubi de Æneа, ab Heleno in Phoebi templum ducto, dicitur: „multo suspensum numine". Servius etiam lectionem, quae est „suspensus", videtur cognovisse nam contendit: „si *suspensus*, ipse numinis plenus; si *suspensum*, me sollicitum et attentum." Iniuria, ut opinor. Utroque modo significatur eadem res, nam „*multo numine*", optimo iure inquit vir doctus Conington, „is the presence of the god, which fills the temple and takes possession of the mind of the worshipper." Nec dubius est A. VIII 385, ubi de Bacchanalibus est sermo. Hoc loco autem notandum est voce, quae est „nefas", indicare poetam videri se alienum esse ab iis rebus, quas a magna Graecia in Romani populi notitiam perferri constat [2].

(*g*). Restat ut pauca verba faciamus de locis quibus voce „numen" intellegenda est *imago*. Legimus A. II 177—179:

1) Cf. Coningt. ad III 370: „the unbinding of the hair being in keeping with the abnormal physical condition of those who are about to be made subjects of the divine afflatus."

2) Cf. Liv. XXXIX 8 ss. Cf. Coningt: „perhaps Virgil's *nefas* may be a touch of Roman feeling". Cf. h. o. c. I p. 63 adn. 2. Locum A. III 600 missum facio, quoniam non „*numen*", quod scribendum esse vir doctus Ribbeckius censuit, sed „*lumen*" esse legendum cum plerisque viris doctis facio.

„nec posse Argolicis exscindi Pergama telis
„omina repetant Argis numenque reducant,
„quod pelago et curvis secum avexere [1]) carinis."

Permulta de hoc loco iam disputata sunt. Servium Dan., [2]) qui numen esse positum pro Palladio putat, viri docti Heynius, Wagnerus, alii secuti sunt. Vir doctus Vossius autem hoc loco non de Palladio, sed de deae voluntate sermonem esse censuit. Contendit enim Graecis Argos redeundum esse, ut auspiciis de novo explorarent quid Minerva vellet [3]). Hanc opinionem — ne alios nominem — Conington probavit [4]). Sed quid sibi vellet locutio „divinam voluntatem secum avehere navibus" iure Dietschius et alii rogaverunt. Hic autem vir doctus, negans unquam numen significare imaginem, contendit fieri non posse ut hoc loco voce ea intellegatur Palladium, quoniam e textu, qui dicitur, appareat illam imaginem

1) Vocem „avexere" neque „advexere", quam nonnulli inferiores codices exhibent, neque „abducere", quae in duobus tantum invenitur, esse scribendam satis videtur stare.

2) „Numenque aut pro Palladio posuit *numen* . . . aut *numen* Minervam dixit." Utroque modo verbum significare imaginem manifestum est.

3) Cf. Abrah. Vossius, Anmerkungen und Randglossen: „sie sollen die zu Argos angestellten Auspicien an Ort und Stelle noch einmal vornehmen und den *Willen der Gottheit* von neuem herbeiholen, ihre Entscheidung von neuem erforschen, mit welcher sie ausgeschifft sind. *Omina* und *numen* entsprechen sich, so wie letzteres im folgenden Verse seine Erklärung findet." (Cf. Dietsch. o. l. p. 7 adn. 43).

4) Dicit: „*numen reducant* is explained by *deos parant comites* (v. 181) . . . The gods are put for the auspices . . . *Numen* of an indication of the divine will vv. 123 above, 336 below, 3. 363, 7. 119 (where it might be exchanged for omen).

Graecos tum demum, cum omnes redirent, avexisse [1]). His aliisque [1]) argumentis ductus censet vs. 179, quippe qui magnam praebere videatur difficultatem, reiciendum esse, cum „illum ab insulso interprete, qui *numen reducat* ad Palladium pertinere crederet, assutum esse" dicat. Secundum hanc opinionem igitur verbum „reducere" absoluto, qui dicitur, sensu intellegendum est, ita ut idem sonet ac verbum „reconciliare". Sed hanc interpretationem minime esse probandam alii viri docti iure dixerunt.

Auditis iis, quae de hoc loco sunt dicta, meam sententiam, qualiscumque est, exponere conabor. *Primum* iniuria, nisi fallor, Dietschius vocem, quae est „numen", non significare imaginem existimat. Cum enim apud Vergilium pro voce „imagines" dici vocabulum „dii" A. II 320 ipse concedat, cumque numina saepius esse deos viderimus, nulla causa est cur vocem „numen" dei imaginis vim habere negemus.

Deinde ipse confitetur, si versus II 179 sit genuinus, nullum esse dubium, quin numen sit Palladium. Mea quidem sententia immerito is aliique viri docti reiecerunt hunc versum, quem addidisse Sinonem verbis a Calchante dictis, quae commemoret, consentaneum est. De hac re non est dubitandum, cum poeta usurpaverit modum indicativum, non coniunctivum, quo, si eo versu Calchantis verba essent dicta, poeta usus esset. Quod si ita est, ar-

1) Cf. o. l. p. 7: „At ei sententiae gravissimum hoc obstat, quod cum ex aliis testimoniis, quae Virgilius, nisi in temeritatis opprobrium incurrere vellet, negligere non potuit, tum ex iis quae praecedunt (171—175, quibuscum haec, de quibus dicimus, artissimo vinculo per *extemplo* colligata sunt) et ex ipsis verbis, maxime ex *secum*, certissimum est, Palladium tum demum per Graecos a Troia avectum esse, cum cuncti redirent. Atque ut versum 179 a Sinone adiectum putes, quo modo Calchas suadere potest, ut reducant imaginem, quam nondum avexerunt."

gumenta a versibus 171—175 cum iis, qui sequuntur, coniunctis per vocem „extemplo", atque a verbo „secum" petita, nullius esse momenti mihi videntur. Sinon enim cum ea ipsius verba dicebat, Graeci iam abierant, quam ob causam dicere poterat: „secum avexere". Unusquisque hunc versum legens verbo „avexere" significari: avehere Troia ad Graeciam primo obtutu videt, quam ob rem opinio viri docti Conington dicentis: „*avexere* from Greece to Troy, at the beginning of the expedition" minime est probanda. — Nihilominus rem ita se habere, quod attinet ad versum 179, quamquam concesseris, tamen restabit alterum argumentum a nonnullis viris doctis prolatum. Quonam modo Calchas suadere potest, ut reducant imaginem, quam nondum avexerunt? Hic mea quidem sententia plerique viri docti in verbo, quod est „reducant", interpretando erraverunt. Hoc enim vocabulum, pertinens ad ea, quae Calchanta dixisse narrat Sinon, explicandum esse puto e verbis ab illo dictis neque ex iis, quae hic addidit. Calchas quidem postquam de simulacro facta sunt prodigia, iussit Graecos oportere fugere, omina Argis repetere, numen reducere h. e. reducere ad locum, unde Palladium a Tydide Ulixeque erat deportatum. At si quispiam dixerit voces, quae sunt „Argis numenque reducant", ita artissime cohaerere ut legendum sit hoc: „Argis reducere", ei respondeatur poetam de industria Sinonem sic dicentem fecisse, quo facilius iis verbis additis (vs. 179) Troiani crederent, quae vs. 183 ss. commemorantur. Vocabulum „reducere" igitur hoc loco ambiguum est et spectat cum ad verba a Calchante dicta, tum ad sententiam, quam illis verbis Sinon supposuit. Itaque hunc versum non esse reiciendum neque post vs. 183 scribendum, ut censuit Buchnerus, mihi persuasum est. Arte tam singulari poeta fecit Sinonem hic

dicentem, ut (nisi admodum fallimur) non solum Troianos, sed multos viros doctos deceperit ille fraudator.

Has ob causas numen hoc loco ad Palladium spectare non potest non dici.

Eandem vim habet verbum vs. 183: „Hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso Effigiem statuere". Hoc negat Dietschius cum rapta, non laesa sit illa statua [1]). Iniuria, ut opinor; nam vocabulum „laedere" explicatur iis, quae inveniuntur vss. 166—7: „corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis Virgineas ausi divae contingere vittas". Vocabulum „numen" vs. 447: (templum) „condebat, donis opulentum et numine divae", significare aut simulacrum aut indicare templum plenum esse praesentia deae putat Servius. Libenter concedo si respiciamus textum, ut aiunt, quo sermo est de aereis liminibus, de nexis aere trabibus, de foribus aeneis h. e. de rebus iis, quibus ornabatur templum, voces, quae sunt „numine divae", ad simulacrum esse referendas non facile negari. At praestat censere cum viro docto Wagnero poetam iis verbis imprimis spectasse deae potentiam, qua homines freti donis oblatis templum ornarent [2]). Nec cum

---

1) Cf. o. l. p. 7: „At statua illa non laesa sed rapta est. Igitur donec demonstraverunt, *laedere* idem esse ac *rapere*, ego hoc dici putabo: Hanc effigiem pro Palladio (sc. rapto) proque laesa ea divina potentia Palladis statuere, i. e. ad expiandam Palladii rapinam eaque factam violationem deae."

2) Cf. Heyne-Wag. ad loc.: „opulentum erat templum donis et numine divae, quia per numinis summam potentiam et auctoritatem fiebat, ut plurimi eius opem invocarent donisque templum ornarent. Potentia igitur numinis templum donis ditavit." Eadem fere censet vir doctus Conington: „enriched by offerings and by the especial presence of the goddess... There was doubtless a statue, though this is implied rather than expressed by *numen*." Quod attinet ad casus ablativos, iniuria mihi videtur vir doctus ille putare figuram, quae vocatur zeugma, hoc loco inveniri; multo potius, ut opinor,

A. IV 204 [1]) perpenderis, non iudicabis verba, quae sunt „inter numina divom", significare imprimis deorum statuas, sed etiam de deorum praesentia cogitandum esse negari non potest.

Omnibus locis pertractatis et consideratis, quibus vox, quae est „numen", occurrit, restat ut de nonnullis quaestionibus agamus.

Primum quaerendum est quid inter voces, quae sunt „deus" et „numen", apud Vergilium intersit. Permultis enim locis vocem „numen" idem sonare ac verbum „deus" iam vidimus; attamen nonnullis locis discrimen apparet, nisi fallimur. Revoco ad A. II 141, 622; VI 68, quos locos si accuratius consideraveris, numina magis ad divinitates et ad personas deos pertinere facile perspicietur, quod idem vir doctus Fabricius iure adnotavit [2]). Ad II 141 quod attinet dici non potest hoc esse discrimen inter „superos" ac „numina", ut numina sola sint veri conscia, superi non ita; de rebus enim futuris Apollo animum vatis *veris* implet (A. III 434), atque alii quoque dii sunt conscii veri, ut infra apparebit, sunt conscii rerum futurarum; nam si res futuras noverunt, sequitur ut sint veri conscii. Iure igitur Fabricius dixit: „quan-

---

vox „donis" pro abl. respectus et vox „numine" pro abl. causae est habenda. Aliis quoque locis (cf. I 179, VIII 226) duo ablativi casus genera iuxta se a poeta usurpantur.

1) Servius Daniel. commemorat multos pro voce „numina" vocabulum „munera" legisse, quibus verbis adnotat: „hoc est in media precatione deorum". Rectissime vir doctus Wagnerus ostendit haec verba significare: „mediis in sacris". Huiusce versus igitur sententia esset haec ut Iarbas sacra incepta interrumperet, quod summae amentiae futurum fuisse Dietschius o. l. p. 7 apte iam dixit.

2) Cf. V. Fabricius, De Iove et fato in P. Vergilii Maronis Æneide (Lips. MDCCCXCVI), p. 8.

quam sine dubio in praesentia interdum perspiciendum est verum, tamen saepissime ei oppositum est falsum, fictum; verum autem per se cognosci non potest nisi aperte post acerrimum vehementissimumque certamen cum ficto falsoque in tempore futuro" [1]).

Magis elucet discrimen, supra indicatum, versu 622. De eiusmodi re cogitavisse videri poetam iam apparet, nisi fallimur, e verborum coniunctione: „numine deum", nec non perspicuum est ex eo quod verba „facies (deum)" spectant ad deorum personas. Optimo iure poeta praemisit illa: „apparent dirae facies", quae cum adsint, facile intelleguntur haec: „(apparent) numina magna deum". Sunt deorum figurae, quibus divinitates fiunt conspicuae. — Eadem res cernitur A. VI 68. Iniuria mihi videtur vir doctus Nordenius putare hoc versu poetam tantum usum esse rhetorica figura, quae vocatur exornatio [2]).

Vocibus enim, quae sunt „errare" et „agitata", indicat poeta magnum esse discrimen inter deos ac numina. Iure igitur ad hunc locum Servius, quem viri docti Heynius et Wagnerus secuti sunt, adnotavit: *„errantesque deos, ut diis sedem exiguam patriis* (VII 229). *Agitataque numina* Troiae aut mecum *vexata.*" Porro cum memoria tenemus verbum, quod est „agito", apud poetam saepissime spectare ad animi motus, perturbationes (cf. A. III 331, X 71, XI 337, XII 668 al.) facile perspicitur cur poeta dixerit „numina agitata". Divinitas enim sub sensus non cadit, qua de causa ei non tribuuntur res ad corpora

1) Ibid.

2) Cf. ad loc.: *„errantisque deos* wird durch *agitataque numina* stilistisch variiert, letztere Floskel aus diesem Grunde sowie wegen des feierlichen *numina* und des bei älteren Dichtern beliebten Frequentativs *agitare* möglicherweise durch archaische Poesie beeinflusst". Cf. quod dicit ad A. VI 25.

pertinentes; persona movetur, errat, non vere divinitas [1]). — Iniuria autem ad hanc rem, de qua disceptatur, demonstrandam Fabricius laudavit X 221, ubi verbum, quod est „numen", non significare deum supra iam vidimus; melius fortasse conferendus est G. IV 7, quamquam hunc locum non nimis esse premendum libenter concedimus.

Quodsi de hac re recte disputavimus, perspicuum est, quamquam voci, quae est „numen", videatur inesse imaginis vim, dici non posse numen, qua tale est, pingi, sed deum solum; deos solos pios amare, miserari, adiuvare, impios persequi ac punire; a diis solis rerum naturam gubernari, homines duci et regi [2]).

Deinde animadvertendum est hanc vocem, significantem voluntatem aut auctoritatem, a poeta numquam usurpari absoluto, qui dicitur, sensu, sed semper ad aliquem deum pertinere. Nonnullis locis (cf. A. I 674, IV 94, VIII 382, XI 232 et si qui alii sunt) ubi eiusmodi verbum, quo definitur eius verbi vis, omittitur, e verborum convenientia atque perpetuitate facile colligi potest. Inde exoritur quaestio num tot sint divinae voluntates quot dii sunt. Quamvis haec quaestio artissime cohaereat cum altera, num scilicet revera omnes sint dii, quorum nomina inveniuntur apud poetam (de qua re infra dicturus sum), tamen hic iam statui potest *unam* esse voluntatem divinam. Nemo contendat saepissime numerum pluralem usurpari, cum hoc usu nonnisi aliquid gravius significari iam supra viderimus. Praeterea argumento est e. g. A. II 123, ubi

1) Cf. Fabricius o. l. p. 9.

2) Cf. Fabr. l.l.: „qua de causa dei modo amicos, amores, delicias habent, qua de causa neminem facere, pingere possunt nisi deos, quam ob rem solus deus ducit, regit homines".

scriptum quidem legitur: „numina divom", quamquam vs. 121 Apollinis solius mentio fit; licet fortasse adferre huiusce rei documento locutionem: „sine numine divom", sed haec locutio etiam apud alios scriptores saepius reperitur quam ut aliquid certi sit concludendum. Maioris autem momenti est, quod eadem res, quae a poeta dicitur fieri „non sine numine divom" Iovi adscribitur. Sic Creusa Æneae dicit:

„non haec, sine numine divom
„eveniunt: nec te comitem hinc portare Creusam
„fas aut ille sinit superi regnator Olympi" [1]).

Idem apparet ex A. III 363 et X 31. Priore loco legimus: „et cuncti suaserunt numine divi Italiam petere", ubi rectissime Servius adnotavit: „*cuncti divi* quia quicquid audivit a diversis ad Iovem recurrit". Quae si tenentur, facile intellegitur, cur X 31 poeta fecerit Iovi Venerem respondentem: „si sine pace tua atque invito numine Troes Italiam petiere."

Itaque est cur Vergilium ad monotheismum, qui vocatur, revera inclinavisse putemus, quod omnino quadrat in illius aetatis rationem ac voluntatem [2]). Sed utrum haec res secundum Stoicorum doctrinam sit intellegenda, ita ut eadem sit ac pantheismus, qui dicitur, necne, hoc loco non est diiudicandum.

Quam questionem ut solvere conemur, prius de voce, quae est „deus", agi necesse habeo.

---

1) A II. 777.

2) Cf. Wendland o. l. p. 105, 140 al. Cf. praeterea Dr. R. H. Woltjer, Het Woord Gods en het woord der menschen, Utrecht, 1913, p. 312 ss. Vid. alios scriptores ab hoc viro docto ibidem laudatos.

2. De voce, quae est „deus".

De omnibus locis Vergilianis, quibus reperitur vox, quae est „deus", disputare longum neque necesse est. Praetereundos esse locos, ubi occurrit eius vocis numerus pluralis, manifestum est; nec vero sunt tractandi omnes loci, quibus invenitur numerus singularis: 1°. ubi vox „deus" ad aliquem deum est referenda (cf. A. I 303 [1]), II 247 [2]), VI 749 [3]), 348, VII 275, 352, 365, IX 78, 601, X 72, XII 429, 500 et si qui alii sunt; 2°. ubi poeta, figura quae dicitur metonymia usus, voce ea indicat (*a*) non ipsum deum aliquem sed vim divinam, quam in hominum animos is habet, e. g. A. VI 79: „magnum si pectore possit Excussisse deum" (cf. V 679), A. IX 721: „bellatorque animo deus incidit"; (*b*) magnam animi affectus vim, cf. A. IX 185: „an sua cuique deus fit dira cupido" [4]);

---

1) Vocibus „volente deo" Mercurius quidem significatur, sed (Iovis) iussa facit (vs. 302).

2) „Dei iussu" i. e. Apollinis, quamquam iure Dietschius adscripsit: „quod unus deus iussit id ab omnibus ratum habitum esse consentaneum est" (o. l. p. 1 adn. 1).

3) „Deus" i. e. Mercurius (cf. IV 244), sed hic quoque non facit nisi quod Iuppiter iubet.

4) Notatu digna sunt ea, quae de hac re vir doctus Heinzius dicit o. l. pp. 302—308. Legimus p. 302: „Es fragt sich nur, ob Virgil in dem unmittelbaren Eingreifen der Götter in menschliches Wollen und Handeln wirklich durchweg ein rein poetisches Spiel hat treiben wollen, hat schildern wollen, in der ganz andere Kräfte wirken als in der unsrigen, in der alle physischen und psychischen Gesetze, die uns binden, aufgehoben sind, um märchenhafter Willkür Platz zu machen". Recte mihi videtur responderi: „ich bin in der Tat geneigt, viel mehr, als man das heute meist tut, bei Virgil symbolisierende Absichten anzunehmen, d. h. eine bewusste Umsetzung einfacher psychologischer Vorgänge in die Form göttlicher Einwirkung, wobei darauf gerechnet ist, dass der gebildete Leser diese Götterszenen

(*c*) magnam Octaviani potestatem E. I 6, 7; G. I 29; IV 315; A. V 391 [1]).

allegorisch deuten werde". Neque immerito ad locum, supra allatum, adnotat: „da haben wir die rein menschliche Deutung des seelischen Vorgangs einerseits, die Umsetzung ins Mythische andererseits" (p. 304).

1) Vocem „deus" iis locis eodem sensu usurpari atque ap. Lucr. V 8, ap. Cic. ad Att. 16, 3: „deus ille noster Plato" et de orat. I § 106: „te in dicendo semper putavi deum", mihi persuasum est. Itaque quod attinet ad Octavianum, qui deus a Vergilio nominatur, de ἀποθεώσει, proprie dicta, non esse cogitandum puto. Optimo iure vir doctus Nettleshippius (H. Nettleship, Ancient Lives of Vergil, with an essay on the Poems of Vergil, Oxford, 1879) iam dixit: „it must be remembered that such words as *deus*, *divus*, *divinus*, when applied to a man, though displeasing to the saner feeling of the old-fashioned Romans, conveyed much less to Italian ears than their English equivalents do to our own. The word *divinus* is constantly used in impassioned prose like that of Cicero, as an epithet of extraordinary men and great achievements; nor when applied to the princeps, although in this connection they carried with them, in the Roman religious system, a definite religious association, did *deus* and *divinus* of necessity imply more than what lay at the root of so much of the Greek and Roman religion, mere admiration of commanding merit" (p. 27). Idem fere opinatur vir doctus Gloverus, qui in fine disputationis de hac re (o. l. pp. 146—171) dicit: „The worship of the Emperor was no doubt already prominent, though not so much emphasized by the government as it was a generation or two later. It was Greek and Asiatic rather than Roman, more fitted for the Ptolemies than the Julii. If Virgil could have been questioned on his views on the matter, he might probably have leant rather to some such doctrine as Cicero sets forth in his *Dream of Scipio* — the future rewarding and glorification in a higher and more divine region of all who have served their country. Indeed, if we can draw any safe inference from the vision granted to Æneas in Hades, Augustus stands on essentially the same footing, and is subjected to the same conditions, as the other patriots there revealed — within and not without the cycle of recurrent life. But as a rule Augustus' glories are of this world, and the poet looks more to his power to benefit mankind by his human activity than to any shadowy apotheosis." Huic viro docto adsentitur Fowlerus: „The extravagances of Caesar-worship are not to be met with in Augustus' time; for him the new

Omnibus his locis omissis, mihi videtur dicendum esse de locis:

(*a*) quibus poeta voce „deus" utitur, quamquam vocabulum „dea" requiri videtur;

(*b*) ubi hoc verbum significat communem omnium deorum voluntatem et consilium aut naturam divinam.

(*a*). Legimus Ec. VIII 75: „effigiem duco; numero deus impare gaudet". Apparet quidem e textu, ut aiunt, intellegendam esse Hecaten, cui magica sacra fiant, sicut Servio ducente omnes fere viri docti putant, sed scribendo vocem „deus", non „dea", poeta mihi videtur in universum numen divinum indicare voluisse, cum alii quoque dii incantationibus invocentur [1]). — Sic invenitur A. II 632: „descendo, ac ducente deo flammam inter et hostis Expedior", quamquam nullum dubium est quin Venus intellegatur [2]). Lectio quidem „dea" invenitur in Mediceo, schedis Veronensibus rescriptis, Palatino, multisque codicibus inferioribus, (Scholia Veronensia exhibent utramque lectionem), sed testibus Macrobio, Donato, Servio usus adsentior plerisque viris doctis, qui vocabulum „deo" anteponendum esse existimant. Quodsi ita est, vocem hoc loco idem sonare ac locutionem τό θεῖον, ut

element may be defined, as in Rome (and in Italy too, so far as his own wish could limit it) nothing more than *the encouragement of the belief in him, and loyalty to him as the restorer of pax deorum*" (o. l. p. 438). Vid. praeterea J. B. Mayor, Virgil's Messianic Eclogue, p. 39. Hac in re magis facere possum cum his viris doctis quam cum Sellaro (cf. o. l. p. 347 ss.), Boissiero (o. l. p. 134 ss.), Ribbeckio (o. l. p. 41), Wendlandio (o. l. p. 146 ss.), qui omnes re vera apud Vergilium apotheosin Augusti inveniri opinantur.

1) Cf. A. IV 510.

2) Cf. vss. 620, 664.

viri docti Heynius, Wagnerus, Dietschius [1]) iure dixerant, manifestum est. Non igitur cum Coningtone putamus nomen, quod est θεός, communis generis esse, neque est probanda opinio Servii dicentis deos esse ἀρσενοθηλεῖς; melius Serv. Dan., coll. loco Sallustiano [2]), interpretatur: „[quamquam] veteres „deum" pro magno numine dicebant" [3]). Itaque si rem pii poetae mentis quasi oculis spectamus, facile perspicitur eum non de Veneris potentia dicere sed Æneam esse divino auxilio servatum premere. — Transeo ad locum A. VII 498, ubi legimus: „nec dextrae erranti deus afuit". Servius putat de Allecto esse cogitandum: iniuria, ut opinor, si memoria tenemus vss. 479—81; neque Iuno significatur, quoniam — ut cum Dietschio loquamur — „dum Furia semina belli serit, prudentissime afuit"; neque Dietschius recte mihi videtur putare Apollinem esse intellegendum. Quae explicandi ratio si probaretur, Apollo Troianorum non esset amicus sed efficeret ut magnos subirent labores. Unum restat ut cum viro docto Coningtone et aliis censeamus hic quoque sermonem esse in universum de vi quadam divina vel de divino auxilio.

Hi loci non parvi sunt momenti, propterea quod plane apparet poetam re vera spectasse non tam singulas deas aut deos, quos loquentes et agentes in carminibus suis fecerit, quam in universum numen divinum, quod unum esse eum sibi effinxisse non facile negabitur.

Haec res magis elucet ex aliis locis, de quibus iam agemus.

---

1) o. l. p. 2.

2) Sallust. hist. fragm. inc. 66 Kr.: „ut tanta mutatio non sine deo videretur."

3) Cf. Scholia Veron. ad locum.

(*b*). i. Scriptum legitur G. IV 219—224:

„His quidam signis atque haec exempla secutis
„esse apibus partem divinae mentis et haustus
„aetherios dixere; deum namque ire per omnia
„terrasque tractusque maris caelumque profundum;
„hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
„quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitas."

Hic vocem, quae est „deus", idem significare ac divinam mentem, quae vocetur „ignea" et „caelestis" (VI 730), quaeque omnia „alat" (VI 726), manifestum est atque poetam Stoicorum doctrinam de anima mundi spectasse vix opus est dicere. Notandum autem est poetam hac in re de Epicuri doctrina paulatim discessisse, ad Stoicos magis magisque accessisse. Hoc imprimis apparet, si comparamus hunc locum cum G. I 415—16, ubi legimus: „haud, equidem credo, quia sit divinitus [1]) illis Ingenium aut rerum fato prudentia maior", atque cum A. VI 724 ss. Priore enim loco, ubi sermo est de avibus, quae vocibus mutatis imminere tempestatem indicant, poeta reicit verbis „haud, equidem credo" opinionem eorum (Stoicorum, ut opinor), qui et animalia et homines divinae animae esse participes putabant; nam in ea avium arte divinandi (ut ita dicam) explicanda secutus est Lucretium, quod apparet ex vs. 417 ss, comparatis cum Lucr. V 1083 ss: „et partim mutant cum tempestatibus una Raucisonos cantus e. q. s." Iure igitur vir doctus Conington ad hunc locum adnotavit: „an allusion to Pythagorean, Platonist and Stoic spiritualism, which Vergil here rejects in favour of the Epicurean

---

1) Utrum poeta verbis, quae sunt „divinitus" et „fato", duas res diversas an unam rem significaverit, infra investigabitur.

and Lucretian materialism" [1]). Loco, supra exscripto, distinctis verbis sermo est de anima mundi, cuius apes sunt participes. Hanc opinionem hic non reicere videtur poeta, quamquam ex altera parte voce, quae est „quidam", monemur ne temere censeamus iis verbis suam ipsius sententiam exposuisse Vergilium. Hoc igitur stare videtur Vergilium, cum componeret Georgica, de hac re dubitavisse aut potius eam rem esse veram nondum omnino ei persuasum esse. Sed ex A. VI 724 ss. aliud colligi non potest nisi Vergilium huic Stoicorum doctrinae fidem tribuisse; non enim inveniuntur locutiones, quae sunt „haud, equidem credo" aut „quidem" vel eiusmodi aliae, sed magnus Anchises pio Æneae explicat unde homines resque omnes oriantur [2]). Prorsus igitur hoc loco differt a Lucretio, quem prius secutus est.

1) Poeta Epicuri doctrinam (cf. Lucr. V 416—446) de mundi origine exponere Silenum fecit Ec. VI 31 ss.:

> „Namque canebat, uti magnum per inane coacta
> „semina terrarumque animaeque marisque fuissent
> „et liquidi simul ignis; ut his ex omnia primis,
> „omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis;
> „tum durare solum et discludere Nerea ponto
> „coeperit et rerum paulatim sumere formas;
> „iamque novum terrae stupeant lucescere solem,
> „altius atque cadant summotis nubibus imbres
> „incipiant silvae cum primum surgere cumque
> „rara per ignaros errent animalia montis."

2) Cf. ea, quae vir doctus A. Geikie operis, quod inscribitur „The Love of Nature among the Romans" (Lond. 1912), dicit p. 376, adn. 1: „the solemn exposition of the Stoic doctrine of the 'Anima Mundi', which Anchises delivers to his son Æneas at their impressive interview in the lower regions, would hardly have been inserted in this striking manner if it did not express the opinion of the poet himself. There is a notable difference between the presentation of the subject in this passage (Æn. VI 724) and the earlier statement in G. IV 221, where Virgil refrains from committing himself to the adoption of the doctrine." Cf. e. o. p. 69.

Sitne ad Ec. III 60, ubi legimus:

> „ab Iove principium musae; Iovis omnia plena",

cum Heynio putandum poetam, Aratum secutum, (quod iure Servius iam adnotavit) philosophicum illud in animo habuisse, dicere non audeo. Ipse vir doctus haec in ore indocti pastoris nimis esse subtilia videtur sensisse. Simplicior explicandi ratio est haec: ex omnibus rebus cernenda sunt divinum imperium et providentia divina, quem ad modum etiam est concludendum ex iis: „ille *colit* terras" i. e. *amat*. Sic enim iure verbum „colit" Servius, coll. A. I 15, interpretatus est; minus recte Conington, laudato G. II 326, vocem „Iuppiter" hoc loco idem significare atque coelum putat, e quo sit gravida tellus, ita ut fertilis reddatur. [1])

ii. Ex pulcherrimis verbis ab Ænea sociis dictis: „o passi graviora, dabit deus his quoque finem" (A. I 199), facile perspicitur poetam illam mundi animam non spectasse. Facere non possumus, quin putemus deum hoc loco non esse aliquid, sed aliquem, qui homines afflictos multisque laboribus vexatos non neglegat sed respiciat ac curet. Haec poetae verba nos eorum admonent, quae saepissime legimus in Sacris Scripturis e. g. Gen. XII 51; Deut. XXVI 7; 1 Sam. X 19; Ps. XXXI 8; Ier. XXIX 11 aliis locis. Quanta fuerit pietate Vergilius manifestum fit, si cum hisce verbis comparamus verba Tibulliana: „tentavi curas depellere vino" [2]), et Horatiana: „o fortes peioraque passi Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas" [3]), et

1) Cf. ad loc.: „Jupiter (the sky) impregnates the earth and makes it fruitful (comp. G. II 326), so that he is here said to cultivate the earth."

2) I 5, 38.

3) Carm. I 7, 30 ss.

Senecae: „non hoc primum pectora volnus Mea senserunt, graviora tuli. Dabit hic nostris finem curis Vel morte dies" [1]). Deinde, si memoria tenemus ea, quae Iovi Venus dicit: „quem das finem, rex magne, laborum?" (I 241), dubitandum non esse opinor, quin voce „deus" poeta spectaverit Iovem, omnium rectorem [2]).

Neque dubius est locus Ec. VIII 35 ubi leguntur: „nec curare deum credis mortalia quemquam". Sermo est de periurio, cuius homines poenas dare primo capite iam vidimus. Fieri non potest ut hoc loco secundum Stoicos dixerit poeta, id quod Servius putat, sed ex hoc loco apparet, nisi fallor, poetam iam in Eclogis scribendis non omnibus ex partibus fecisse cum Epicureis, negantibus deos ullo modo curare homines et facinora, quae in se admittant. „C'est... le beau vers", iure inquit vir doctus Cartaultius, „plein d'une gravité mâle et religieuse. Ici encore, du reste, le chevrier exagère et pousse au tragique; Nisa peut être d'avis qu'elle n'a pas commis un grand crime en suivant ses gouts et que „Jupiter se rit des parjures des amants" [3]).

Eadem vocis vis invenitur A. III 338: „aut quisnam ignarum nostris deus adpulit oris?" et vs. 715: „hinc me digressum vestris deus adpulit oris". Quamquam his locis in universum mentionem fieri de divina potentia vel voluntate consentaneum est, nemo contendet numen divinum e Stoicorum mente esse intellegendum. Neque sic interpretandi sunt A. IV 440: „fata obstant placidasque viri deus

1) Oct. 663—6 (edit. Peiper et Richter, Lips. MDCCCLXVII).

2) Eadem fere dicit Dietschius o. l. p. 1: „non de aliquo deorum, sed aut de omnibus aut de omnium rectore, de totius vitae humanae arbitro, Iove, cogitandum est (esse)."

3) o. l. p. 306.

obstruit auris", et vs. 651: „dulces exuviae, dum fata deusque sinebat" [1]). Sive cum Servio et Serv. Dan. de Iove aut Mercurio cogitamus (quod fieri potest, si textum, quem dicunt, respicimus) sive cum plerisque viris doctis, Wagnerum secutis, hanc vocem in universum ad divinam voluntatem vel vim aliquam divinam esse referendam opinantibus facimus, hoc stare videtur unam esse divinam potentiam poetam sibi persuasisse. Rem ita se habere Vergilius planius significat loco gravissimo A. V 465—7:

„infelix, quae tanta animum dementia cepit?
„non vires alias conversaque numina sentis?
„cede deo."

Numina esse deos supra iam vidimus, neque causa est cur statuamus dei verbo poetam intellexisse Erycem [2]), sed multo potius mihi convenit cum Coningtone, qui in universum ad divinam potentiam spectavisse poetam opinatur [3]). Praeterea haec opinio confirmatur iis, quae apud Valerium Flaccum leguntur; „iam aliae vires maioraque sanguine nostro Vincunt fata Iovis" [4]), e quibus apparet eum imitatum esse Vergilium.

1) Cur numerum singularem „sinebat" plurali „sinebant" anteponam, infra ostendam, cum capite tertio in rationen, quae diis cum fato sit, inquiram.

2) Cff. Scholia Veronensia (edit. Thil. et Hag.): „*[cede deo u]t* <A. II, 632>: Descendo ac ducente Deo. An secundum illam consuetudinem athletarum, qua hodieque victores [interdum h]oc honore nominant et forsitan sic supra <v. 391> Eryx Deus dictus?"

3) Cf. ad loc.: „*deo* is, I think, to be understood generally of the will of heaven... not specially of Eryx helping Entellus or manifesting himself in him." Cf. interpretatio T. Donati dicentis: „mente perdita non cernit adversum se non tantum hominem, verum etiam deos ex aperto contendere." (Edit. H. Georgii, Lips. MCMV).

4) Cf. Argon. IV 126 (ed. P. Langen, Berol. MDCCCXCVI).

De eadem re cff. IX 211 [1]), X 773, XI 118, XII 321 [1]), XII 677 [1]).

In fine eorum, quae de voce „numen" disputavimus, poetam ad monotheismum, ut aiunt, inclinavisse iam diximus. Idem apparuit, nisi fallimur, ex iis, quae de verbo, quod est „deus", invenimus. Accedit quod hanc rem ad Stoicorum doctrinam pertinere nonnullis locis vidimus. Praeterea repperimus compluribus locis poetam dei voce significavisse in universum divinam potentiam aut numen divinum.

Huc mihi videtur id quoque pertinere, quod Serv. Dan. ad verba, quae sunt „quisquis es" (A. IV 577) adnotavit: „secundum pontificum morem qui sic precantur Iuppiter omnipotens, vel quo alio te nomine appellari volueris" [2]), neque non est commemorandus A. IX 209: „Iuppiter, aut quicunque oculis haec aspicit aequis". Iam scimus apud poetam Stoicorum doctrinam multum valuisse; Stoicos eodem modo appellavisse numen divinum; imprimis illis temporibus morem fuisse ut hac ratione de numine divino diceretur [3]). Quaestio igitur exoritur utrum inde sit colli-

1) De casu et fortuna apud poetam infra dicam.

2) Cf. E. Norden, Agnostos Theos, p. 144.

3) Cf. Wendland o. l. p. 105, adn. 2: „der Gebrauch der unbestimmten Ausdrücke wie θεός, τὸ θεῖον, τὸ δαιμόνιον ist älter (Fr. Nägelsbach, Nachhomerische Theol. S. 138 ff.) *ihre Bevorzugung und Bereicherung für die hellenistische Zeit charakteristisch.*"

Audiatur vir doctus R. H. Woltjer o. l. p. 316: „daardoor wordt, wat in den bloeitijd der Helleensche πόλις-religie toch slechts bij weinigen te beluisteren valt, wat door den koning der Attische treurspeldichters in zijn beroemden koorzang (Agam. vs. 170 ss.)

„Zeus, wie hij ook zij, is deze
„naam hem lief
„daaronder roep ik hem aan,"

nog onvolkomen is vertolkt, in de eeuwen van het Hellenisme de grondtoon, die in de meest verschillende uitingen van godsvereering ons tegenklinkt: losgemaakt van het accidenteele, waarvoor thans de naam gehouden wordt, treedt in de verschillende godheden voortaan het allen gemeene, het abstracte begrip der goddelijkheid, de goddelijke macht, *het goddelijke* (τὸ θεῖον) op den voorgrond."

gendum poetam de numine divino cogitavisse sensu Stoico necne. Equidem arbitror res habere cautiones ne sic temere censeamus. Tenendum enim est hanc locutionem prioribus temporibus quoque usurpatam esse [1]); multis locis ea voce poetam re vera unum deum intellexisse, quem non esse aliquid, sed aliquem, personam, sibi fingeret.

Quae cum ita sint, nihil aliud arbitror ex eo verbi usu esse efficiendum nisi poetam id agere ut insignem faceret illam unam divinam naturam contra res mythologicas de diis traditas [2]).

Quod si ita est poetam re vera unum deum esse credidisse atque illum deum Iovis nomine plerumque appellavisse, necesse habeo inquiri quid de Iove sit iudicandum

1) Cf. ea quae adnotatione superiore sunt dicta. Cf. praeterea L. Schmidt, Die Ethik der alten Griechen, (Berl. 1882) I p. 52 ss. — Operae pretium est audire, quae commemoravit vir doctus R. H. Woltjer o. l. p. 316 adn. 3: „men lette op het gebruik dezer uitdrukking in de Areopagusrede, Act. Apost. 17_{29}, en de aanteekening daarop bij Wilke-Grimm, Clavis[4], i. v. θεῖος: „... neutr. *τὸ θεῖον, numen divinum,* non solum a Graecis ad designandam deorum naturam et vim et providentiam universe spectatam, nulla singularis dei ratione habita..., verum etiam a Philone... et Iosepho... de uno et vero deo frequentatum indeque ex aptissima ad gentilium dicendi modum ratione a Paulo usurpatum Act. 17, 29." — Revoco praeterea ad viri docti Nordenii o. l. p. 145 adn. 3.

2) Non possum non laudare ea, quae vir doctus Wecklein ad Æsch. Agam. 170 (Äschylos, Orestie, 1888) adnotavit: „den Brauch bei Gebeten an die Götter... befolgend löst der Dichter die Idee der Gottheit von der Zufälligkeit des Namens und den mit dem Namen verknüpften, mit der höhern Vorstellung göttlichen Wesens aber unvereinbaren Mythen ab."

apud Vergilium. Quam rem ut investigem, in animo est disserere

(*a*). de Iove in Bucolicis;
(*b*). de Iove in Georgicis;
(*c*). de Iove in Æneide.

3. De Iove apud Vergilium.

(*a*). De Iove in Bucolicis.

Nomen Iovis in Bucolicis tantum ter invenitur. Legimus Ec. IV 49: „cara deum suboles, magnum Iovis incrementum". Viri docti valde inter se discrepant de verbi, quod est „incrementum", significatione; alii putant id sonare idem ac puerum, alii adsentiuntur viro docto Munroo vertenti: „promise of a Iove to be" [1]). Quaecunque huiusce verbi est vis, hoc, nisi fallimur, apertum ac manifestum est, priori huius versus parti alteram partem epexegetico, ut dicitur, sensu esse appositam. Itaque poeta videtur (*a*) indicare voce, quae est „deum", non vere esse intellegendos plures deos, (*b*) alludere ad Iovis potentiam. Prorsus iniuria mihi videtur Hoffmannus pro Æthere esse habendum Iovem putavisse [2]).

At dixerit quispiam non Iovem sed Apollinem esse

1) Cf. imprimis de hac re Cartault o. l. p. 224 adn. 1; F. Skutsch, Aus Vergils Frühzeit p. 148 ss.; Virgil's Messianic Eclogue (Mayor, Fowler, Conway) pp. 61—62, 111—114, 139—140).

2) Cf. R. Hoffmann, De quarta Vergilii ecloga interpretanda, (Programm der Klosterschule, Rozleben, 1877) p. 11: „qua ratione autem Vergilius puerum illum Iovis sive Aetheris, qui largo imbri descendit, et Terrae deae filium appellaverit, ex iis, quae dixi, facile intellegi potest. Novi enim temporis felicitas in eo potissimum posita est, quod terra sua sponte omnia, quae ad victum necessaria sunt, summa cum largitate profundit. Fertilitas autem agri eo efficitur, quod Iuppiter fecundante imbri descendit in gremium Terrae" (cf. Cartault o. l. p. 233).

habendum summum deum, quem ad modum colligendum est ex vs. 10: „tuus iam regnat Apollo". Ad hanc eclogam quod attinet haec quaestio revera est difficillima [1]), nec solvi poterit nisi fusius de hoc carmine disputabitur; interpretatio enim verborum paene singulorum pendet ab iis, quae quis de hoc hymno sentit. Totam quaestionem vero indagare et discutere longum est neque sub huiusce opusculi rationes cadit. Praeterea, cum mihi occasio sit infra exponere rationem, quae Iovi cum Apolline intercedat apud Vergilium, haec res mihi videtur hic praetermittenda esse.

Idem est dicendum de Ec. III 60, cum vs. 62 comparato, quoniam unusquisque eum deum, quem colat, summum esse putat, ut recte iam Servius dixit. Praeterea locutio, quae est „ab Iove principium" non nimis est premenda; est enim solemnis omnibus poetis aliisque scriptoribus locus [2]). — Denique Ec. VII 60, ubi legimus: „Iuppiter et laeto descendet plurimus imbri", Iovem pro caelo et aere dici vix opus est commemorare [3]).

Itaque Bucolica nihil fere praebent, ex quo quid de Iove cogitaverit poeta concludi possit. Nec mirum est; nam „la religion", iure inquit vir doctus Boissierus, „n'y tient aussi que fort peu de place. A l'exception de la

1) Cf. ea quae vir doctus Mayor dicit o. l. p. 121: „Virgil is a poet, writing at the most critical epoch of human history, with a heart and mind open to all influences; and in this poem he embodies the half-conscious hopes and forebodings of his time. The Sibyl was never supposed to be logical, and Virgil here makes no attempt to reconcile the rival claims of Apollo, Saturn and Jupiter, who are all named as presiding over the new age."

2) Cf. P. Barth, Die Stoa, p. 36 adn. 1: „es stammt wohl aus dem 6 Jahrhundert vor Chr., von Pherekydes von Syros."

3) Cf. de hac re Wissowa, o. l. p. 120 adn. 10.

quatrième églogue... dans laquelle on trouve un vrai sentiment religieux, Virgile n'y emploie ordinairement les dieux qu'à la façon dont Ovide s'en est servi, comme une machine poetique destinée à embellir le paysage" [1]).

(*b*). De Iove in Georgicis.

Unusquisque, qui legit hoc carmen, facile perspicit quamvis plures dii deaeque nominentur, tamen unum esse deum, qui dicatur „pater", quemque omnia statuere ac regere poeta putaverit. Pater effecit ut agri cultura multis obstrueretur difficultatibus: „pater ipse colendi Haut facilem esse viam voluit" [2]); fulminibus suis pervertit

1) Cf. o. l. p. 226. Cf. Glover o. l. p. 292: „in the Eclogues... the gods are frankly literary and Alexandrine". Vir doctus R. W. Raperus, qui de diis in Eclogis scripsit (cf. „Gods in the Eclogues and the Arcadian Club", Class. Rev. vol. XXII, March 1908, pp. 41—43), conatus est demonstrare omnibus fere locis, ubi sermo est de Apolline, non solum intellegendum esse deum Olympicum, sed etiam Octavianum. Porro ea, quae inveniuntur Ec. I 41 ss. et IV 15—17, exponuntur hac ratione: „the answer lies beyond the closed doors of a very private dinner party in the residence of Augustus (Suet. Aug. 70), which gave rise to much unfavourable society gossip at the time. It was popularly known as the party of „twelve gods". The rumour was that the guests took their places in the costume (for it was winter) of gods and goddesses, and that the host himself was arrayed as Apollo... The presence of Jupiter would have been extremely disconcerting and inconvenient for the host Apollo Augustus, whoever might have personated the father of gods and men. It may therefore be assumed that in the Olympian formula he was dining and sleeping with the Ethiopians that night... e. q. s."; praestat autem conicere Vergilium nequaquam eiusmodi res spectasse, utique non eo tempore, quo scripsit quartam eclogam. Praeterea tenendum est ea, quae Suet. 70 commemorantur, pertinere ad res flagitiosas, quas de Augusto divulgasse Antonius dicebatur.

2) G. I 120—121.

Cf. Æsch. Agam. vss. 186—8 (ed. Weckl.)

„τὸν φρονεῖν βροτοὺς ὁδώ-
„σαντα, τὸν πάθει μάθος
„θέντα κυρίως ἔχειν."

omnes conatus Titanum, qui montibus alio in alio imponendis coelum expugnare conabantur: „ter pater extructos disiecit fulmine montis" [1]); tonitru fulmineque terram trementem facit, ac terret homines et animalia: „ipse pater... Fulmina molitur dextra; quo maxuma motu Terra tremit; fugere ferae et mortalia corda Per gentes humilis stravit pavor" [2]); at „ut certis possemus discere signis, Aestusque pluviasque et agentis frigora ventos, Ipse pater statuit, quid menstrua luna moneret e. q. s." [3]). Pater ipse potestatem in totam rerum naturam habet; statuit ea quae hominibus accidunt; efficit ut commutationes temporum quadripertitae serie certa ac definita fiant, unde ab hominibus cognoscatur qua via ac ratione operetur; sed leges, quae natura sunt omnibus datae, ipse interdum mutat, quem ad modum Caesare interfecto factum esse poeta descripsit. Omnes dii et deae, quae nominantur, inter se non pugnant et rixantur, quod inveniri apud Homerum notum est, sed concordes perficiunt ea, quae definit ipse pater. Quas omnes res si perpenderis, spero fore ut concedas poetam revera unum esse deum putavisse, sed deum multis variisque modis invocari atque coli [4]).

1) G. I vs. 283.

2) G. I 328—331.

3) G. I 350 ss.

4) Cf. Sellar o. l. pp. 209—210: „the idea of Providential guidance, of a Supreme Father, wielding the forces of Nature, shaping the destinies of man, acting for the most part by regular processes in order that man may learn to understand his ways, but making his personal agency more manifest from time to time, as after the death of Caesar, by signs and wonders, interrupting the order of Nature, supersedes or largely modifies the conception of natural law. The other powers of the Greek Olympus and of the Roman Pantheon are no longer, as the former in the Iliad at war with one another, but all work in harmony with the Supreme Will... The names

Libenter concedimus sola e voce, quae est „pater" [1], colligi non posse hunc deum ceteris diis esse superiorem, quoniam pater quoque appellatur Tiberinus (IV 369), Bacchus (II 4, 7), Oceanus (IV 382), immo vero Aether est omnipotens pater (II 325). Attamen nemo fere negabit magni interesse utrum sola vox, quae est „pater", scribatur, nullo dei alicuius nomine addito, an nomen dei apponatur. Hoc enim vocabuli usu maiorem et maiestatem et dignitatem et potentiam poeta, nisi fallimur, significare voluit [2].

Inde exoritur quaestio quemnam esse illum deum summum voluerit Vergilius. Vir doctus Sellarus Iovem significari negat. „It is noticeable", inquit, „that the word Iuppiter is used either with a purely physical signification (cf. I 418, II 419) or as in the phrases *sub Iove, ante Iovem* in reference to the stories of the ancient mythology" [3]. Hanc opinionem probare non possum. Concedo nomen Iovis locis laudatis meram physicam, ut aiunt, significationem habere, quod idem ad Ec. VII 60 iam invenimus. Sane, sed nihil ad rem pertinet, quoniam

---

of the deities seem to be introduced symbolically, to signify the different modes of activity of the one Supreme Power, and the different forms under which he is to be reverenced".

1) Cf. de huius verbi atque vocis, quae est „mater", usu, ad Romani populi religionem quod attinet, Wissowa o. l. pp. 26, 27: „ebensowenig erlauben die Beinamen *pater* und *mater*, welche den meisten Gottheiten dieses ältesten Kreises in den rituellen Formeln zukommen und oft mit dem Eigennamen völlig verschmelzen... an Götterfamilien zu denken: diese Beinamen kennzeichnen vielmehr nur das Verhältnis, in dem die Götter zu der sie verehrenden Gemeinde stehen." Cf. praeterea Fowler, o. l. p. 157.

2) Cf. Sellar o. l. p. 221: „the Supreme Spiritual Power in the Georgics is generally spoken of under the title of Pater".

3) Ibidem.

Iuppiter Pluvius vel Pluvialis Romanis quoque non idem fuit atque Iuppiter Capitolinus, qui est Optimus et Maximus. Haec enim adiectiva illum esse superiorem omnibus Iovibus, qui Romae et extra Romam colerentur, indicare recte notavit vir doctus Wissowa [1]. Deinde quod attinet ad locutiones, quae sunt *sub Iove, ante Iovem*, statuo, quod sciam, priorem illam in Georgicis non inveniri. Nec vero negandum est verbis „ante Iovem" poetam quadam ratione res quae dicuntur mythologicas spectasse. Nec mirum est. Vergilius enim, quippe qui fuerit vere Romanus, nomen Iovis secernere non poterat ab iis, quae de Iove erant tradita [2].

Ab altera autem parte, cum nomen summi dei apud Romanos semper fuerit Iuppiter, ob eam ipsam causam non est dubitandum quin locutione, quae est „pater ipse", poeta intellexerit Iovem. Ne revocem ad Hesiodi [3], Arati [4], verba, plane ad Δία [5]) pertinentia, quae poetam in animo

---

1) Cf. o. l. p. 126: „die Beinamen bezeichnen den Gott nicht sowohl als den besten und grössten der Götter, als vielmehr als den ersten und hervorragendsten aller in und ausserhalb Roms verehrten *Ioves*." Memoratu sunt digna ea, quae ad hunc locum adnotavit: „in einer ... russischen Arbeit von Turcewič (s. Wochenschr. f. klass. Philol. 1907, 1225 f.) wird auf den Ausdruck der Rechtsquellen für servituten freie Uebergabe von Grundstücken *fundum uti optimus maximusque est* (Dig. XXI 2, 75 u. ö.) oder *aedes uti optimae maximaeque sunt, tradere* (Dig. L 16, 90) hingewiesen: danach wäre *Iuppiter Optimus Maximus* ein *Iuppiter ut qui optimo iure.*" Cf. Appel o. l. p. 105.

2) Ad res mythologicas ea quoque pertinent quae inveniuntur A. III 104, IX 82 ss., al. Sed conferantur ea quae supra (pp. 128—9) sunt dicta.

3) Oper. vs. 42 ss.

4) Phaen. vs. 6 ss. (edit. Maas, Berol. MDCCCXCII).

5) De discrimine, quod est inter voces, quae sunt Iuppiter et Ζεύς cf. Wissowa o. l. p. 113.

habuisse veri est simillimum, hoc quoque mihi videtur dilucide patere e textu (ut aiunt), ubi verba „ante Iovem" reperiuntur. Conferantur enim ea, quae de patre ipso dicuntur: „primusque per artem Movit agros curis acuens mortalia corda" (vss. 122—3), cum iis, quae pertinent ad Iovem, qui iussit esse multas res difficillimas (vss. 126—132)[1]), „ut varias usus meditando extunderet artis" (vs. 133 ss.), quibus rebus factum est, ut „tum variae venirent (venere) artes" (vs. 145).

Nec aliter de vss. 283, 328 ss., 350 ss. est iudicandum. Quod opinamur de hac re, confirmatur iis, quae leguntur A. II 617—18: „ipse pater Danais animos viresque secundas Sufficit, ipse deos in Dardana suscitat arma" [2]). Hoc loco Iovem intellexisse poetam unusquisque concedit. Quod si ita est, Vergilium, cum scriberet Georgica, Iovem longe superiorem esse ceteris diis sensisse facile intellegitur. Nec vero parvi est momenti, quod pronomen „ipse" usurpatur. Etenim hoc pronomine non solum indicari dignitatis atque inde natae reverentiae notionem iure scripsit Wagnerus [3]), sed etiam significatur, quod Conington vocat „personal exertion" [4]).

1) Cf. vss. 150—159.

2) Cf. A. VII 558: „haud pater ille velit, summi regnator Olympi."

3) Cf. Quaest. Virgil. XVIII p. 465: „imprimis autem notanda est dignitatis et natae inde reverentiae notio, quae saepe huic Pronomini subest... Hinc creberrime hoc Pronomen Iovis nomini, quippe omnia suo imperio, suo numine regentis, adiungitur (cf. G. IV 149)... Idem Pronomen frequentatur, ubi circumlocutione utimur ad Iovis nomen indicandum (cf. G. I 121, 328, 353)."

4) Cf. ad G. I 121: „*ipse* added to the name of a god seems to express dignity, as Wagner remarks, *the great Father himself*, though this does not always exhaust its meaning;" atque ad vs. 328: „*ipse* as in A. V 249, XII 725 etc., expresses not only dignity, but *personal exertion* (A. II 321 etc.)."

At quispiam dixerit: ut patrem ipsum esse Iovem in Georgicis putaveris, tamen Iovis nomen non significat nisi quod Stoici voce „Ζεύς" indicaverunt [1]). Primo aspectu huic argumento inesse videtur magna vis et auctoritas. Iam supra enim vidimus Vergilium laudavisse Stoicorum sententiam ad apium naturam quod attinet; atque de eadem re legimus G. IV 149: „nunc age, naturas apibus quas Iuppiter ipse Addidit". Hoc igitur confirmare videtur eam opinionem, Iovis scilicet nomen in Georgicis sensu Stoico esse intellegendum. Stoici enim dicebant *Δία* et fatum idem esse [2]). Audiatur Chrysippus: „*ὅτι δ' ἡ κοινὴ φύσις καὶ ὁ κοινὸς τῆς φύσεως λόγος εἱμαρμένη καὶ Ζεύς ἐστιν*" [3]). Idem de Zenone Lactantius tradit: „Zeno rerum naturae dispositorem atque artificem universitatis *λόγον* praedicat,

1) Haec est opinio viri docti Sellari, qui o. l. p. 221 dicit: „the Stoic doctrine... recognized the incessant agency and forethought of a Supreme Spiritual Power over human life. It accepted the stories and beings of the traditional religion, but explained them away. The various deities worshipped by the people are the various manifestations and functions of this one Supreme Spiritual Power, whether called by the name of Zeus, or by the abstract name of Providence (*πρόνοια*). This is the Power addressed in the famous hymn of Cleanthes, and that appealed to in the familiar *τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν* of Aratus. It is part of Virgil's eclecticism to combine the science of Epicurus with the theology of the more spiritual schools."

2) Cf. Schol. in Hom. Iliad. Θ 69: „*οἱ Στωϊκοὶ δέ φασιν ὡς ταὐτὸν εἱμαρμένη καὶ Ζεύς*" (cf. Arnim, II n. 931).

3) Plut. de Stoic. repugn. cp. 34 p. 1049 s. Cf. praeterea Plut. o. l. c. 47 p. 1056 c: „*τέλος δέ φησι μηδὲν ἴσχεσθαι μηδὲ κινεῖσθαι μηδὲ τοὐλάχιστον ἄλλως ἢ κατὰ τὸν τοῦ Διὸς λόγον, ὃν τῇ εἱμαρμένῃ τὸν αὐτὸν εἶναι.*" (Arnim, II n. 937). Sic invenitur de Chrysippo ap. Cic. de nat. deor. I § 40: „idemque etiam legis perpetuae et aeternae vim, quae quasi dux vitae et magistra officiorum sit, Iovem dicit esse eandemque fatalem necessitatem appellat, sempiternam rerum futurarum veritatem."

quem et fatum et necessitatem rerum et deum et animum Iovis nuncupat" [1]). Cleanthes cecinit:

„ἄγου δέ μ', ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη,
„ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος,
„ὡς ἕψομαί γ' ἄοκνος· ἢν δέ γε μὴ θέλω
„κακὸς γενόμενος, οὐδὲν ἧττον ἕψομαι" [2]).

Neque contra adferri potest Iovem a Vergilio vocari *patrem*, qui hominibus sit beneficus. Sic enim Stoici quoque locuti sunt. Revocamus ad Cleanthis hymnum in Δία, ubi in fine legimus:

„ἀλλὰ Ζεῦ πάνδωρε, κελαινεφές, ἀργικέραυνε,
„ἀνθρώπους <μὲν> ῥύου ἀπειροσύνης ἀπὸ λυγρῆς,
„ἣν σύ, πάτερ, σκέδασον ψυχῆς ἄπο κ. τ. λ." [3]).

Chrysippus dixit deum esse artificem universitatis et ut patrem omnium [4]). Porro deus secundum Stoicos est „lenis, tranquillus, propitius, beneficus, conservator" [5]).

---

1) Lact. de vera sap. c. 9; cf. praeterea Lact. Inst. div. IV 9; Tertull. Apol. 21: „apud vestros quoque sapientes **λόγον**, id est sermonem atque rationem, constat artificem videri universitatis. Hunc enim Zeus determinat factitatorem, qui cuncta in dispositione formaverit, eundem et fatum vocari et deum et animum Iovis et necessitatem omnium rerum." (Arnim, I n. 160). Vid. Diog. Laert. VII 88: „**ὁ νόμος ὁ κοινός, ὅσπερ ἐστὶν ὁ ὀρθὸς λόγος, διὰ πάντων ἐρχόμενος, ὁ αὐτὸς ὢν τῷ Διΐ, καθηγεμόνι τούτῳ τῆς τῶν ὄντων διοικήσεως ὄντι.**" (Arn. I n. 162).

2) Epict. Man. c. 53 (Arn. I n. 527).

3) Stob. Ecl. I 1, 12 p. 25, 3 (Arn. I n. 537).

4) Diog. Laert. VII 147: „(**θεὸν**) **εἶναι δὲ τὸν μὲν δημιουργὸν τῶν ὅλων καὶ ὥσπερ πατέρα πάντων.**" (Arn. II 1021).

5) Cf. Lact. de ira dei cp. 5. (Arn. II n. 1120). Vid etiam Plut. de comm. not. cp. 32 p. 1075 e: „**οὐ γὰρ ἀθάνατον καὶ μακάριον μόνον, ἀλλὰ καὶ φιλάνθρωπον καὶ κηδεμονικὸν καὶ ὠφέλιμον προλαμβάνεσθαι**

Videmus igitur haec omnia de Iove in Georgicis dici posse [1]). Sane, concedo. At attendamus etiam ad hanc Stoicorum doctrinae partem, deum scilicet non irasci, non punire, non ulcisci. Audias Senecam: „quae causa est dis bene faciendi? natura errat, siquis illos putat nocere nolle: *non possunt. nec accipere iniuriam queunt nec facere*" [2]). Neque aliud legimus ap. Lactant.: „existimantur Stoici ... gratiam in Deo esse, iram non esse" [3]). Numne rem ita se habere Vergilio persuasum est? Memineris eorum, quae primo capite disputavimus de deorum iustitia, qua cum re artissime cohaeret deorum ira. Nec dubitandum est quin de hac ira sermo sit G. IV 466 ss. Conferas imprimis vss. 491—2:

„nec fuit indignum superis bis sanguine nostro
„Emathiam et latos Haemi pinguescere campos."

Causa igitur, mea quidem sententia, est cur caveamus ne summum deum in Georgicis eundem esse ac Stoicorum numen divinum temere putemus. At de tota hac quaestione, artissime cohaerente cum altera, quidnam scilicet de fato apud Vergilium sit iudicandum, fusius disputare huiusce loci non est. Quare haec res interim est mittenda.

καὶ νοεῖσθαι τὸν θεόν." (Arn. II n. 1126). — Cf. praeterea Plutarch. de Stoic. repugn. c. 38 p. 1051 e (Ibid. n. 1115); Clem. Alex. Paedag. I 8 p. 136 Pott. (Ib. n. 1116); Plutarch. de Stoic. repugn. cp. 38 (Arn. III p. 249, nn. 33, 34).

1) Cf. Glover o. l. p. 319: „in the Georgics ... Virgil faced the question of man's dealings with Nature, and he found that the underlying purpose of Jove had justified itself. The name Jove was perhaps traditional, and must not be pressed, *but the main drift of the poem is that the universe, as far as it concerns the farmer, is intelligible, and the mind behind it not unfriendly*".

2) Ep. 95, 47 (Arn. II n. 1117).

3) De ira dei cp. 5 (Ib. n. 1120).

Satis est ostendisse in Georgicis revera sermonem esse de uno deo, quamvis plures nominentur, atque hunc summum deum esse Iovem.

Iam transeamus ut investigemus quid de Iove in Æneide sit statuendum.

(*c*). De Iove in Æneide.

Hanc rem, ut pertractemus, necesse habeo dici:

i. de Iovis epithetis;
ii. de ratione, quae Iovi cum hominibus intercedat;
iii. de ratione, quae Iovi sit cum ceteris diis.

i. *De Iovis epithetis.*

Epitheta Iovis apud Vergilium leviora esse Homericis iure dixit Fabricius[1]. Accedit quod multa epitheta Iovi cum ceteris diis deabusque sunt communia; nihilominus discrimen quoddam est notandum.

Pater multis locis appellatur Iuppiter (cf. II 617, 691; V 690; X 18, 62); sic quoque Neptunus (V 14), Mercurius (VIII 138). Sed discrimen in eo est positum quod vis verbi, ad Iovem pertinentis, semper fere aliis vocibus additis augetur. „Ipse pater" invenitur II 617; voci, quae est „pater" (II 691), antecedit locutio „Iuppiter omnipotens" (vs. 689), quod idem reperitur ad V 690; nec non commemorandus est X 18:

„o pater, o hominum rerumque aeterna potestas!"

Hoc tenendum est ad vs. 62, quippe qui pars sit verborum a Venere Iovi dictorum. Quibus licet addere haec: Iuppiter solus est „pater divom" (cf. I 65, II 648, X 2, 743, 875); „pater ipse superum" (VI 780); „magnus pater divom"

1) o. l. p. 12.

(IX 495); „summus pater" (I 665); „pater omnipotens" (I 60, III 251, IV 25, VI 592, VII 141, 770; VIII 398, X 100, XII 178).

Genitor vocatur nullus alius deus nisi Iuppiter; praetermittimus eos locos, quibus hac appellatione Iuppiter a Venere compellatur (I 237, IX 630, X 45), et adferimus locos, ubi verbis vel locutionibus aliis additis haec vox maiorem videtur habere vim: cff. X 668 „omnipotens genitor"; XII 200: „audiat haec genitor, qui foedera fulmine sancit"; XII 843 nec omittendus est VII 305—6. Cybele quidem est magna mater deorum (II 788, IX 82), sed verbum hisce locis eandem vim non habere consentaneum est.

Rex est Æolus (I 52, 137), Pluto (VI 106, 396), Mars (X 542 „rex Gradive"), sed Iuppiter appellatur „rex hominum" (A. I 65, II 648, X 2, X 743); „rex deum" (III 375, XII 851); „regnator deum" (IV 269); „rex magnus" (I 241). Sane, sed Iuno quoque dicitur „regina deum" (I 9, 46 VII 620). Confiteor, sed Iuppiter est „rex aetherii Olympi" (X 621 cf. XII 140); „rex superus coelicolum" (III 20); „magnus rex Olympi" (V 533); „rex omnipotentis Olympi" i. e. „rex omnipotens Olympi" (XII 791); est regnator magni, superi, summi Olympi (X 437, II 779, VII 558); denique est „rector maxumus divom" (VIII 572).

Ne commemorem epitheton, quod est „magnanimus", quo et Æneas appellatur, sunt imprimis dicendae locutiones: „hominum rerumque repertor" (XII 829), „hominum sator atque deorum" (I 254), „hominum rerumque aeterna potestas" (X 18).

Sed gravissimum adiectivum, quod est „omnipotens", non solum Iovi, sed etiam Fortunae (VIII 334), Iunoni (IV 693, VII 428), Apollini (XI 790) adscribitur. Quae

cum ita sint, non multum ex iis nominibus esse colligendum concedimus. Iure igitur Fabricius adnotavit: „epitheta autem, quae pertinent et ad alios deos aliaque numina, summo omnium deumque hominumque leviora sunt ac parum aut nihil valent neque aliud nisi naturam significant, quae est promiscua et summo Iovi et aliis deis aliisque numinibus" [1]).

ii. *De ratione, quae Iovi cum hominibus intercedat.*

Solus e diis Iuppiter apud Vergilium est „rex hominum", „sator hominum", „repertor hominum", „hominum aeterna potestas". Optimo igitur iure est hominum vitae necisque dominus (cf. II 779, XII 851); hanc ob causam Euandrus, qui valere iubet filium suum, Pallantem, precatur: „o mihi praeteritos referat si Iuppiter annos" (VIII 560).

Nec mirum est Iovem imprimis invocare homines, cum dubitant, quid sibi sit faciendum. Sic Anchises, qui cum Æenea exire Troia prius nolebat, denide dubitabat, precatus est:

„Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis;
„aspice nos, hoc tantum, et si pietate meremur
„da deinde augurium, pater, atque haec omina firma" [2]).

Postquam Iuppiter signum dedit: „subitoque fragore Intonuit laevom", Anchises haec: „iam iam nulla morast" [3]). Summum hominibus est eius augurium [4]); postquam Acestes „aërias telum contorsit in auras" (V 520) atque „liquidis

1) o. l. p. 13.

2) II 689 ss.

3) vs. 701.

4) Cf. Heinze o. l. pp. 56—57.

in nubibus arsit harundo Signavitque viam flammis" (vss. 525—26), Æneas exclamavit: „sume pater; nam te voluit rex magnus Olympi Talibus auspiciis exsortem ducere honores" [1]).

Quae cum ita sint, per se intellegitur homines exspectare fore ut a Iove, precibus invocato, adiuventur. Iam supra vidimus Ænean, cum magnum esset periculum ne igni comburerentur naves, Iovem imploravisse ut flammas exstingueret [2]). Pallante cum Ænea ad bellum profecturo, Euandrus, quam vis precetur alios deos, Iovem potissimum mihi videtur in animo habere dicens:

„at vos, o superi, et divom tu maxume rector
„Iuppiter, Arcadii, quaeso, miserescite regis" [3]).

Porro Iovem homines invocant, ut suis coeptis adnuat; quamquam nemo scopum tangere potest sine Apollinis auxilio (ut ex IX vs. 654 facile est coniciendum) tamen Ascanius haec:

„Iuppiter omnipotens, audacibus adnue coeptis" [4]).

1) Optimo iure vir doctus Plüsius, allato II 692 ss. ad explicanda ea, quae hoc loco commemorantur, dixit o. l. p. 119: „welches ist denn nur die Deutung, welche Æneas, zugleich im Sinne aller Beteiligten, dem Zeichen gibt? Zunächst erkennt er darin ein Zeichen Jupiters. Woran erkennt er das? Doch wohl an der Art des Zeichens; man kann *talibus auspiciis* mit *voluit* verbinden und verstehen „durch solche, so wunderbar offenbarende Himmelserscheinung hat Jupiter seinen Willen kund gegeben; jedenfalls plegt es Jupiter zu sein, welche gerade Himmelserscheinungen dieser besonderen Art sendet (vgl. Hom. Il. IV 75 ff. 83 f.) Æneas nennt dabei Jupiter feierlich den mächtigen König des Olympus, also den Alleinherrscher, dessen Wille das Schicksal der Welt ist."

2) V 687 ss.

3) VIII 571 ss.

4) IX 625.

Qui vero Iovem sibi opponere videt, animum demittit. Iuturna enim „ut Dirae stridorem adgnovit et alas" (XII 869) dicit: „iam iam linquo acies (875).... nec fallunt iussa superba Magnanimi Iovis" (877). Sic Æneae Turnus:

„non me tua fervida terrent
„dicta, ferox: di me terrent et Iuppiter hostis" [1]).

Foedera fulmine sancit Iuppiter (XII 200); fulmen est signum potestatis praecipuum; hoc terret homines et deos (I 230); hoc impios punit exigitque ad inferos (VII 772—3. cf. praeterea VI 592).

Iuppiter tuetur hospites; „Iuppiter" inquit Dido „hospitibus nam te dare iura loquuntur" (I 731). Statuit ut urbes condantur et gentes aliae ab aliis superentur ac regantur. Harum rerum Didonem admonet Ilioneus:

„O regina, novam cui condere Iuppiter urbem
„iustitiaque dedit gentes frenare superbas" [2]).

Cf. praeterea III 171, VIII 381, X 31. — Iuppiter denique „bello territat urbes" (XII 852).

Quibus ex omnibus Iovem Vergilianum revera esse hominum regem dilucide patet.

iii. *De ratione, quae Iovi sit cum ceteris diis.*

Primum non omnes, qui dei nomine vocentur, tales haberi memoria tenendum est. Saepissime figura προσωποποιίας, quae dicitur, poeta utitur. Hoc pertinet e. gr. ad Amorem, Famam, Hiemem, Zephyros nec voce, quae est Mars,

1) XII 894.

2) I 522—3.

poetam saepenumero intellexisse belli vim ac furorem [1]) negari potest; praeterea Iovem bello „territare" urbes iam supra est dictum.

Deinde quaeritur numne dii apud Vergilium quoque secundum rationem physicam, ut aiunt, sint intellegendi, quam explicandi rationem Stoicos usurpavisse notissimum est. Scimus Probum et Servium deorum nomina apud Vergilium sic interpretari conatos esse, sed hac in re modum eos excessisse inter omnes fere viros doctos constat. Fieri posse, ut poeta interdum hanc doctrinam spectaverit, vir doctus Heinzius scribit; sed hac re moderate ac modeste usus est Vergilius ita ut minime sit conspicua [2]); contra deos tam alacres et acres poeta depinxit ut nemo in carmine epico legendo sponte sua de ea re cogitet.

At si res ita se habet, poetam plures deos loqui atque

1) Cf. II 335, 440; VI 165; VII 540, 550; VIII 495, 557, 676; IX 518, 766; X 237, 280; XI 153, 899; XII 107, 410, 497, 712.

2) Cf. Heinze o. l. p. 296: „wichtiger noch als dieser Erhöhungsprozess und die veränderte Stellung der Götter zu ihrem Oberhaupt ist es, dass Virgil, wenn ich nicht sehr irre, mit vollem Bewusstsein Hinweise auf die physische Deutung der Göttergestalten in sein Gedicht eingeflochten hat: *verständlich, wohlgemerkt, nur für den, dem diese ratio physica bekannt ist, und zugleich so diskret, dass die Persönlichkeit der Götter dabei durchaus gewahrt bleibt.* In manchen Fällen gehen diese Andeutungen nicht über das allgemein Übliche hinaus." Nonnulla exempla huiusce rei adferuntur: „der Jäger Nisus, der zu Diana für seinen Wurf um Erfolg beten will, blickt zum Monde auf und fasst den Mond mit der Göttin in seiner Anrede als Eines (IX 403). Iris ist bei Homer die Götterbotin, die mit dem Regenbogen nichts zu tun hat; bei Virgil ist der tausendfarbige Bogen der Pfad, auf dem sie zur Erde herabeilt (V 609) oder der bei ihrem Verschwinden entsteht (V 558, IV 15), oder es wird geschildert, wie bei ihrem Flug tausend bunte Farben gegen die Sonne spielen (IV 700); und so kann es nicht verwundern, dass Turnus sie als *decus caeli*, also als Regenbogen anredet (IX 18)."

agere fecisse non nimis esse premendum per se intellegitur, quamquam non contendo poetam omnibus ex partibus de diis e Stoicorum mente sensisse. Sed ex hac re non multum est efficiendum, quoniam fieri non potest ut iudicium certum feratur. Commemorandum praeterea est Ciceronem hanc nominum deorum explicandorum rationem respuisse et reiecisse [1]; unde fortasse est coniciendum Romanos in universum ab hac re alienos fuisse. Transeo igitur ad faciliorem quaestionem, quaenam ratio sit inter Iovem et ceteros deos.

Quod attinet ad Venerem et Mercurium, nulla est difficultas neque de iis verba facere opus est. Nec de Æolo dubia est res; Iuno enim dicit: „Æole, namque tibi divom pater atque hominum rex Et mulcere dedit fluctus et tollere vento" [2]). Neptunus revera multum potest; tridenti maris tempestates excitat ac ponit [3]; Troiae muros et fundamenta quassavit magno tridenti atque urbem eruit a sedibus [4]. At rem si ad vivum resecamus, Iuppiter

1) Cf. de nat. deor. III §§ 62, 63: „iam vero quid vos illa delectat explicatio fabularum et enodatio nominum? Exsectum a filio Caelum, vinctum itidem a filio Saturnum, haec et alia generis eiusdem ita defenditis, ut ii, qui ista finxerunt, non modo non insani, sed etiam fuisse sapientes videantur. In enodandis autem nominibus, quod miserandum sit, laboratis. Saturnus, quia se saturat annis, Mavors, quia magna vertit, Minerva, quia minuit aut quia minatur, Venus, quia venit ad omnia, Ceres a gerendo. Quam periculosa consuetudo! In multis enim nominibus haerebitis... Quod cum facitis, illud profecto confitemini, longe aliter se rem habere, atque hominum opinio sit; eos enim, qui di appellantur, rerum naturas esse, non figuras deorum."

2) I 65, cf. vs. 62.

3) I 133—4: „iam caelum terramque meo sine numine, venti, Miscere et tantas audetis tollere moles?" Cf. vss. 145—6: „levat ipse tridenti Et vastas aperit syrtes et temperat aequor Atque rotis summas levibus perlabitur."

4) II 610 ss.

solus ventos regit (I 60), „voltu ... caelum tempestatesque serenat" (I 255), quo loco et maris tempestates esse intellegendas puto, consideratis iis, quae Venus locuta est; recorderis, quaeso, X 100 ss.: „eo dicente ... Tum zephyri posuere, premit placida aequora pontus" [1]. — Vulcanus „ignipotens" Iovis est minister, qui illi fulmen faciendum curat [2].

De Iunone in Æneide, quodcumque iudicium fert aliquis, hoc videtur stare eam Iovi esse subiectam, licet „maxima", „omnipotens", „regina deum" appelletur. Sinit quidem Iunonem struere dolos, sed etiam vetat:

„ventum ad supremum est. terris agitare vel undis
„Troianis potuisti, infandum accendere bellum
„deformare domum et luctu miscere hymenaeos;
„ulterius temptare veto" [3].

Quibus verbis dictis Iuno „submisso voltu" obtemperat:

„ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas
„Iuppiter, et Turnum et terras invita reliqui".

Quare omnino facere non possum cum viro docto Bouviero, qui dicit oboedire Iunonem has ob causas: 1°. quia timet Iovis potestatem, quippe qui fati sit minister; 2°. quia Iuppiter quoque fato est subiectus [4]. Quae Iovi

1) Cf. praeterea III 144 ss.:

„ergo agite et, divom ducunt qua iussa, sequamur
„placemus ventos et Gnosia regna petamus
„nec longo distant cursu; modo Iuppiter adsit
„tertia lux classem Cretaeis sistet in oris."

2) VIII 426 ss.

3) XII 803—6.

4) Cf. H. Bouvier, Die Götter in der Æneide des Vergil (Jahres-Bericht des kk. Staat-Gymnasiums in Krems am Schlusse des Schuljahres 1890. Krems 1890) p. 9: „dass Juno ihren Gemahl für den Urheber der Geschicke

cum fato intercedat ratio, exponere huiusce loci non est; sed ex duobus argumentis sequitur ut altera ex parte Iove inferior Iuno, par sit illi ab altera parte, quod fieri non potest.

Nec in deos inferos potestatem habere Iovem negandum esse opinor. Eius enim iussu ad inferos descendit Æneas[1]); quod imperium nullius esset momenti, nisi res ita se haberet. Idem praeterea est colligendum ex iis, quae commemorantur de Mercurio, qui „hac (sc. virga) animas... evocat Orco pallentes" [2]). Haec narrat poeta de Mercurio, quem Iovis mandata confecturum describit. Porro ex XII 845 ss. Diras Iovis imperiis obtemperare patet. Cf. VII 558 ss.

Quod ad Apollinem, fieri potest ut dubitetur uter sit summus deus, Apollo an Iuppiter. Vocatur enim A. XI 785: „summe deum". Hunc deum Augusti temporibus maximo honore esse affectum notissimum est; huiusce dei auxilio se S. Pompeium et Antonium superavisse credidit Augustus, quo factum est, ut Apollinis templum lautissime ornaretur[3]); immo vero imperatore duce par

---

hielte, geht aus keinem ihrer Worte hervor" (quae opinio mihi non est probanda, si verba, supra laudata, spectantur). Pergit hunc in modum: „doch fürchtet sie seine Macht, da sie ihn als Vollstrecker des Schicksalswillens kennt, und daraus erklärt sich ihre Unterordnung under das Fatum (VII 312 ss. X 67). Es entspricht volkommen ihrem stolzen Selbstbewusstsein, das sich in den Worten ausdrückt: *ast ego, quae divom incedo regina, Iovisque Et soror et coniunx* (I 46), dass sie sich vor der Allgewalt des Fatums nur deshalb beugt, weil sie weiss, dass ihm ihr Gemahl ebenso unterworfen ist, wie sie selbst; wäre sie davon nicht überzeugt gewesen, hätte Jupiter wohl vergeblich das Wort gesprochen, durch das er sie zur Fügsamkeit zu bewegen suchte (XII 791)."

1) Cf. V 726 ss., 746.

2) IV 242. Cf. praeterea VI 748—751.

3) Cf. Cass. Dio. XLIX 15, 5: Vell. Pat. II 81, 3 (cf. Wissowa o. l. p. 75). Cf. Wiss. o. l. p. 296: „der am 9 Oktober 726 = 28 eingeweihte

Iovi Capitolino habebatur[1]); porro ex carmine saeculari Horatiano Apollo et Diana videntur vel superiores esse Iove O. M. et Iunone. Cum igitur imperator maxime coluerit Apollinem, cumque Vergilium Augusto familiariter usum esse sciamus, causa est cur hunc deum in carminibus Vergilianis ac potissimum in Æneide in locum deorum inferiorum non venisse opinemur[2]). Recentissimis temporibus

---

Tempel des Apollo Palatinus, der in unmittelbarer Nachbarschaft des kaiserlichen Palastes lag, stellte nicht nur durch die Pracht der Ausstattung alle andern Tempel Roms in den Schatten, sondern wurde auch, obwohl an sich nur eine Stätte des kaiserlichen Privatkultes, in seiner rechtlichen Stellung ein gefährlicher Rival selbst des obersten Staatsheiligtums auf dem Capitol, das u. a. die bisher in seinen Kellern aufbewahrten sibyllinischen Bücher an ihn abgeben musste."

1) Cf. Wiss. o. l. p. 75: „der Schutzgott des Kaisers wird, je mehr die Monarchie Wurzel fasst, zum Gegenstande öffentlicher Verehrung und tritt bald als mindestens gleichberechtigter Genosse in den Kreis der Staatsgottheiten ein, selbst hinter dem capitolinischen Juppiter nicht zurückstehend."

2) Hoc negare videtur vir doctus Fowlerus dicens: „Apollo is a god of pastoral song in the *Eclogues:* a god of live stock (but faintly so) in the *Georgics:* in the Æneid no more than a god of prophecy, presiding over various oracles. Is it like Virgil to make so much of a deity who had never been a really important one at Rome, and who had been reduced by the literary allusion of the Hellenistic period to a symbol for the art of poetry?" (Cf. Class. Review, Vol. XXVII, May 1913, no. 3. „Virgil, Priest of Apollo? Notes on Mr. Raper's recent paper." p. 87). Melius, nisi fallor, de hac re putat vir doctus Heinzius o. l. pp. 84—85: „Apollo wird in den vorvirgilischen und von Virgil unabhängigen späteren Berichten über Æneas' Irrfahrten nicht genannt;... Bei Virgil ist... Apollo... mit grossem Nachdruk in den Mittelpunkt gestellt. Nicht nur, dass hervorgehoben wird, wie *er* es ist, der die cumäische Sibylle inspiriert — an ihn richtet Æneas VI 56 sein Gebet um Orakel... in Apollos Auftrag reden die Penaten (III 155); von Apollo hat die Harpyie ihr Wissen (251); in Apollos Tempel hört er des Gottes Priester Helenus, der ihn auch für die Zukunft auf Apollos Beistand verweist (395). Den entscheidenden Anstoss zu dieser Hervorhebung der von Apollo geleisteten Dienste mag Augustus' Vorliebe

de Apolline apud Vergilium egit vir doctus Raperus [1]). Vergilium (sic conicit hic vir) in carminibus Homericis legendis moverunt ea, quae commemorantur Od. ι, 196—9 de Marone, Apollinis sacerdote [2]). Ex hisce profectus conatus est ostendere „that in his poems, for whatever reason, he consciously, and without any illusion, adopted the part of a minister of Apollo" [3]). Vir doctus Fowlerus ex iis, quae scripserat Raperus, conclusit hunc putavisse in Æneide summum deum esse Apollinem [4]). Sed Fowlerus erravit et fortasse, ut credo, multi aliique viri docti; nam Raperus, opinionem suam defendens, se id spectasse

---

für diesen Hausgott des Julischen Geschlechts gegeben haben; die Anregung stammt, wie gesagt, von griechischen Gründungssagen." Attamen non omnino sunt reicienda viri docti Fowleri haec verba: „owing to what may be called Augustus' Apollinism (in my opinion much exaggerated of late), of which the great feature was the building of the splendid temple on the Palatine, with its area and its library, the Greek god seems to recover something of his old vitality at this period. Augustus could get a lttle more tone than others out of the old string, but it had no permanent resonance." (Cf. Class. Rev. l. l. p. 87). Cf. praeterea eiusdem viri docti, R. E. of the R. P. pp. 443—447.

1) Cf. Class. Rev., vol. XXVII Febr. 1913, „Marones: Virgil as Priest of Apollo", pp. 13—21.

2) Cf. ll. p. 14: „it would be natural that Virgil, when in the course of his reading Homer he first came across the passage just quoted,... should have been struck with a certain familiar ring... not only in Maron, his own name, but the „son of Flower-bloom" may have recalled to him his own father's forest garden e. q. s.... it would also be natural that he should feel drawn to the country of his possible ancestors e. q. s."

3) Cf. Class. Rev., vol. XXVII, June 1913, p. 148: „he (sc. Fowler) is mistaken in thinking that I said that Virgil had *persuaded* himself that he was priest of Apollo, or *fancied* himself a priest...; but I showed e. q. s." (cf. supra).

4) Cf. supra (p. 149 adn. 2).

distinctis verbis negat [1]). Hoc igitur videtur stare inter omnes fere viros doctos in Æneide non Apollinem sed Iovem esse summum deum. Iure igitur vir doctus Heinze dicit Apollinis epitheta, quae sunt „summus deum" et „omnipotens", non nimis esse premenda [2]). Apollo est in Æneide deus, qui res futuras oraculis praedicit, quod non facit, nisi cum prius dixerat Iuppiter. Cf. A. III 250—3, ubi Celaeno haec dicit:

„accipite ergo animis atque haec mea figite dicta,
„quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo
„praedixit, vobis furiarum ego maxima pando."

Hic locus est gravissimus. Nihil refert utrum haec, ad Apollinem pertinentia, ab Homero [3]) an ab Æschylo [4]) deprompserit poeta. Hoc autem videtur maximi esse mo-

---

1) Cf. C. R. vol. XXVII, June 1913, p. 148: „nor did I knowingly suggest any rôle for Apollo in the *Æneid* weightier than is already demonstrably there. I neither said nor thought anything derogatory to the supreme majesty of Jupiter: to have done so would have been irreverent and irrelevant. The greatness of Jupiter or the alleged littleness of Apollo have nothing to do with my contention that Virgil by hint and allusion was bent in some mysterious way on identifying Augustus with Apollo."

2) o. l. p. 290 adn. 2: „den Soracteanwohnern gilt Apollo, ihr *summus deum*, auch als *omnipotens* (XI 785, 790): das ist ethnischer Glaube."

3) Cf. Hym. Hom. I 132: „χρήσω δ'ἀνθρώποισι Διὸς νημερτέα βουλήν"; II 471: „σὲ δέ φασι δαήμεναι ἐκ Διὸς ὀμφῆς μαντείας, Ἑκάεργε· Διὸς πάρα θέσφατα πάντα."

4) Cf. Eum. 19, 619—621 (ed. Weckl.); fragm. 86 (edit. Nauck 1889, p. 28). Audiatur de hac re vir doctus G. Dronke, Die religiösen und sittlichen Vorstellungen des Æschylos und Sophocles, Leipz. 1861, p. 9: „wol beachte man es, Apollon hat nicht die Sehergabe ein für allemal vom Vater erhalten; jeder einzelne Spruch seines Mundes ist eine unmittelbare Offenbarung des Zeus selbst. Der Zug zum Monotheismus hin ist gewiss unverkennbar." (Cf. F. F. C. Fischer, De deo Æschyleo, Amst. 1892, pp. 20—21).

menti quod Vergilius haec scripsit illis temporibus, quibus in maximo honore fuit Apollinis cultus. Inde quid de Iove cogitaverit poeta, facile perspicitur.

Quibus consideratis nullum est dubium quin Iuppiter apud Vergilium sit „rector maximus divom". Est rerum aeterna potestas[1]); universum regit et torquet sidera mundi (IX 93), nec non caelum et terras suo numine (IV 269); condidit caelum umbra (VI 271). Rex est in deorum concilio, quod considit in Olympo; quo habito eum medium ad limina ducunt omnes coelicolae[2]). Ipse omnes res definit; nutu suo tremefacit Olympum; cum dicit, tellus solo tremefit, silentium est deûm per domum altam, silet aether arduus, zephyri se ponunt, tranquillum est maris aequor (X 100 ss.). —

Quae omnia ut brevi complectamur, apparet Vergilium

1) X 18—19.

2) De hoc concilio audias virum doctum Boissierum, o. l. p. 254: „Il a, comme le Jupiter grec, son conseil, qu'il réunit dans les circonstances importantes; mais ce conseil ne resemble pas tout à fait à ces assemblées d'Homère bruyantes, populeuses, democratiques, où se trouvent tous les dieux, grands et petits... Virgile n'y admet que les grands dieux; il ne les fait pas délibérer après boire, usage dangereux qui peut entraîner beaucoup d'abus; il les représente gravement assis, comme des sénateurs dans la curie. Jupiter leur parle avec une dignité toute romaine; puis, quand il a fini et qu'il s'est levé de son trône d'or, les dieux l'entourent et le reconduisent, comme on fait pour les magistrats et les grands citoyens de Rome." Cf. praeterea Glover o. l. p. 297; Fowler, Social Life at Rome, p. 342. Recte dixit vir doctus Heinze o. l. p. 479: „Homers Götter sind Menschen, bei denen nur die Grenzen der physischen Endlichkeit hinausgeschoben sind oder ganz fortfallen; Virgils Götter sind die erhabensten im Weltall wirkenden Mächte, die menschliche Gestalt angenommen haben, nur weil sie in anderem Bilde nicht sichtbar zu machen sind." — Hic quoque commemorandum est res indignas, quas de diis sint traditae, in dubitationem vocare Vergilium; cf. A. VI 173: „si credere dignum est." Vid. de hac re Heinze o. l. p. 241, adn. 1; Glover o. l. p. 299; Ribbeck o. l. p. 71.

opiniones a patribus acceptas de diis pluribus verbo quidem esse secutum, re unum esse deum credidisse, neque quid ad poetam pertinuerint Stoici est obliviscendum; porro ille deus ei videtur fuisse Iuppiter, quem ita extulit ut alii cui deo nullus relinqueretur locus[1]). — Restat autem ut proximo capite exponere coner, quae sit fati potestas apud Vergilium.

1) Cf. Boissier o. l. p. 254: „Jupiter aussi a reçu de Virgile un maintien plus digne, une autorité plus respectée... Il est devenu tout à fait le dieu des dieux, celui en qui les autres doivent finir par s'absorber et qui profite tous les jours des progrès que fait le monothéisme" (cf. supra pp. 90—91).

CAPUT TERTIUM.

Quid de fato apud Vergilium sit iudicandum.

Fatum quid sit apud Vergilium hoc capite investigare in animo est. In fine superioris capitis exponere, quaenam ratio Iovi intercederet cum ceteris diis, conatus sum. Unde apparuit Iovem apud Vergilium re vera esse summum deum. Sed quaestio nondum est profligata atque ad finem perducta. Res enim difficillima restat. Iam prooemio diximus verba, quae sunt „fata" et „fatum", saepissime in carminibus Vergilianis reperiri. Memoria si tenemus quid de hac re docuerint Stoici quidque ad Vergilium pertinuerint, hanc rem neglegi non posse facile intellegitur, ut poeta quid senserit de numine divino cognoscatur.

De fato apud Vergilium viri docti inter se non congruunt. Aldenhovenius[1]), Dietschius[2]), Ribbeckius[3]), alii

1) Cf. C. Aldenhoven, Ueber den Virgilischen Fatalismus, (Ratzeburg, 1850) p. 68: „das Weltregiment ist in den Händen des höchsten Gottes und der von seinem Willen abhängigen Mächte. Allein die Ausübung desselben ist bedingt durch gewisse unabänderliche Gesetze und Bestimmungen (*fata*), zu deren treuer Befolgung und Ausführung im Allgemeinen der übereinstimmende Wille der Götter, jederzeit der des höchsten, vorausgesetzt wird, die jedoch weder die Willensfreiheit der Götter, noch der Menschen aufheben und namentlich den Ersteren in allen nicht ausdrücklich vorhergesehenen Fällen freie Hand lassen."

2) o. l. p. 12: „*fata* semper extra deos esse putantur. Iis omnia non

fatum supra deos Iovemque esse contendunt, ita ut dii tantum fati sint ministri; Boissierus[4]), Plüssius[5]), Fabricius[6]) fatum a Iove statui eiusque esse voluntatem opinantur; Heinzius ille quidem dicit fatum Iovis voluntatem esse,

solum quae in rerum natura, sed etiam quae in hominum vita fiunt, provisa ac constituta sunt, quaeque decrevere, eveniant necesse est" . . . „Quare Iuppiter, qui solus fata novit . . . ex iis, quae fieri debeant, depromit atque decernit, quoque tempore evenire necesse sit, constituit atque explorat, et quamvis, quod semel in fatis sit, id irritum reddere nemini deorum liceat, tamen eorum exitum retardare ac prorogare atque etiam ad tempus mutare possunt."

3) Cf. o. l. p. 72: „Jupiter ist der unparteiische Kenner und Vollstrecker des unabwendbaren Schicksals . . . Den unabwendbaren Willen der Fortuna, den unumstösslichen Spruch der Parcen vermag er freilich nicht zu vereiteln, vielmehr hat er über der Erfüllung zu wachen."

Plerique viri docti rem ita se habere existimant. Cf. Bouvier, o. l. p. 10; Fr. Kunz, Realien in Vergils Æneis, II Götterwelt und Sacralwesen (Wr. Neustadt 1895), pp. 8—11; Glover o. l. p. 300 ss.; J. MacInnes, The conception of Fata in the Æneid (Class. Rev. Vol. XXIV, 1910) pp. 169—174; alii.

4) o. l. p. 244: „le destin tient assurément une grande place dans Homère . . . Ce fonds de fatalité semble rester chez lui obscur et lointain . . . Énée, au contraire, est tout à fait dans la main des dieux et tient toujours les yeux fixés sur cette force supérieure qui le mène." Quid de Iove apud Vergilium hic vir doctus putaverit, cognoscitur p. 254.

Cf. praeterea Conington ad III 375, VIII 398, X 632.

5) o. l. p. 119: „Æneas nennt dabei Jupiter feierlich den mächtigen König des Olympus, also den Alleinherrscher, dessen Wille das Schicksal der Welt ist." Cf. praeterea pp. 122, 123.

6) Cf. o. l. p. 21: „nunc etiam si in extrema commentatione breviter paucis verbis, quid actum atque effectum sit, complectamur, nullo Vergilii carminis loco Iovem fato subiectum esse plane ac clare dici nobis confitendum est. Sunt quidem nonnulli quibus Iovis potentia et fati vis simul dominari videntur, quod autem revincitur ac redarguitur locis I 278; X 18; X 100; XII 829; X 35; III 375 quibus unum esse deum cui prima atque aeterna insit potestas, qui homines, fata omniaque reppererit atque condiderit perspicue atque aperte legitur."

sed poetam figura, quae dicitur, prosopoeiia usum nomine Iovis intellexisse fatum Stoicum putat [1]), idem arbitratur Arnoldius [2]), neque aliter iudicare videntur Schmekelius [3]), Wendlandius [4]); denique rationem, quae sit inter Iovem et fata, poetam in incerto reliquisse Sellarus [5]), Fowlerus [6]) opinantur.

---

1) Cf. o. l. p. 291: „die homerische *Μοῖρα* ist eine unfassbare Gewalt, die neben den Göttern steht und zu der Zeus kein eigentümliches Verhältnis hat; Virgil lässt keinen Zweifel darüber, dass in Wahrheit das Fatum nichts anderes ist als des höchsten Gottes Wille"; cf. praeterea p. 290—1: „Virgils Juppiter ist der ‚Almächtige', und ihm allein kommt diese Eigenschaft zu, in ihm verkörpert sich die ‚ewige Gewalt', der Götter und Menschen und ihre Geschicke untertan sind." Vide etiam p. 293.

2) Cf. E. Vernon Arnold, Roman Stoicism, (Cambr. 1911) p. 390: „above all these little gods Jove towers aloft, a power magnificent and munificent; at his voice the gods shudder and the worlds obey. But the power of Jove rests upon his complete acceptance of the irrevocable decrees of fate... Virgil appears truly to hold the Stoic principle that Fate and Jove are one." Cf. p. 391: „to understand Æneas we must first picture a man whose whole soul is filled by a reverent regard for destiny and submission to Jove, who represents destiny on its personal side."

3) Cf. o. l. pp. 450—1.

4) Cf. o. l. p. 142 ss.

5) Iam supra vidimus hunc virum doctum Iovem aut potius patrem ipsum in Georgicis eundum esse ac fatum Stoicum censere. De hac re in Æneide cf. o. l. p. 337: „even Jupiter is represented rather as cognisant of the Fates than as their author. Sometimes indeed they are spoken of as ‚Fata Jovis'. But again, while his will is suspended in a great crisis of the action, their operation is persistent and inevitable. — The original relation between this impersonal agency and the deliberate purpose of Jupiter is left undefined."

6) Cf. R. E. of the R. P. p. 426, adn. 18: „Jupiter is practically the representative of the Stoic all-pervading deity, with the Fates behind him." Sed hic vir in hac re sibi non constare videtur; legimus enim o. l. p. 416: „it is Jupiter, ruler of the Fates and the Roman destinies"; p. 424: „the great future which Jupiter and the Fates have reserved for the Roman people." Sed anno MCMIX, quo edidit opus, quod inscribitur „Social Life

Vides igitur quam multae variaeque opiniones sint prolatae, atque haud scio annon fieri possit ut de hac re feratur certum iudicium. Cuius rei causa in eo est posita quod Vergilius poeta, non philosophus fuit; cecinit, non ratiocinatus est; itaque disertis verbis rem, de qua disceptatur, non exposuit nec explanavit, sed sententiam suam implicite protulit. Quae cum ita sint, necesse est tractentur loci, ubi verba, quae sunt „fatum" et „fata", occurrunt, neque vero sunt omittendae voces, quibuscum coniuncta illa reperiuntur. Quae voces sunt „deus" [1]), „numen" [2]), „sors" [3]),

---

at Rome in the age of Cicero", alia ratione iudicavisse videtur dicens p. 342: „but the lines just quoted serve well to show how different is the Jupiter of Virgil from the universal deity of the Roman Stoic... Virgil has throughout his poem placed the Fates, or Destiny, in close relation to him, without definitely explaining that relation." — De hac re vir doctus Henricus (J. Henry, Æneidea or critical, exegetical and aesthetical remarks on the Æneis, I—IV, 1873—1889) alias aliud dixit; cf. I p. 125: „the word (*fato*) vss. 5—7 (or 2—4) is essential, not to be avoided, our author's object being to place before the reader, here at the very outset, the two forces from whose antagonism results the whole action of the poem, viz... the force of fate... and the force of the Gods"; p. 127: „this antagonism is the sine-qua non of the work, the heart of the animal, the main spring of the watch. Break it or take it away, and all action ceases, and the poem becomes an impossibility e. q. s."; II p. 431: „the Fates use the gods as their instruments"; II p. 434: „Helenus... has already presented us with Juppiter himself arranging... the decrees of the mysterious, irresponsible, invisible, unapproachable, self-constituted, court of courts, sole source of all law and equity, all right and wrong, all revolutions no less than all constitutions, all power whether human or divine, yet in itself and of itself, and without an agent, absolutely helpless and unable to affect anything, an empty O without head, heart, feet or hands."

1) Cf. IV 651, al.

2) Cf. VIII 574, al.

3) Cf. VI 72, al.

„casus" [1]), „fortuna" [2]). Porro locutiones, quae sunt „si dant ea moenia Parcae" (cf. X 112: „nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent"), et „concordes stabili fatorum numine Parcae" (E. IV 47), monent ut de Parcis quoque sit agendum. Denique inquirendum est, quamnam rationem esse inter deos et fata poeta putaverit.

Quoniam capite priore de vocibus, quae sunt „deus" et „numen", iam disputavimus, eae hic sunt praetermittendae. Res ceterae tractabuntur hoc ordine:

1. de voce, quae est „sors";
2. de casu et fortuna apud poetam;
3. de Parcis apud Vergilium;
4. de vocibus, quae sunt „fatum" et „fata";
5. quamnam rationem esse inter deos et fata poeta putaverit.

1. De voce, quae est „sors".

(*a*). Sortis verbo inest serendi notio, quoniam temporibus antiquis in Italia mos erat, ut κλῆροι lino insererentur [3]); hoc modo igitur ordo imprimis indicari videbatur, quae res ex A. VI 760 perspicitur, neque non sunt facile intellegendae locutiones, quae sunt „sortes trahere" et „sortes ducere" [4]). Porro sortes in urna aut in galea depositas esse ex Homericis carminibus notum est. Eadem res invenitur apud Verg. A. V 490, VI 22.

(*b*). Locis prioribus sortis vox non significat nisi κλῆρον.

1) Cf. I 221, al.

2) Cf. VIII 334, al.

3) Cf. Walde o. l., *s. v.*

4) Locutionem, quae est „sortes ducere", ad Romanam veterem linguam pertinere ostendit vir doctus J. Schmalz, Arch. f. Lex. IX 1896, 578 (Norden o. l. ad VI 22).

Saepenumero autem hac voce *sortitio* indicatur, ut legimus A. I 139:

„non illi imperium pelagi saevumque tridentem,
„set mihi sorte datum."

Causa est cur hoc loco de Iovis sortitione sit cogitandum, quem ad modum Fabricius recte monuit [1]). Voces enim, quae sunt „sorte datum", referendae sunt etiam ad pronomen „illi", atque e vs. 65 cognoscitur Æolo a Iove imperium ventorum esse datum. Locus gravissimus est A. II 554—5, ubi scriptum legitur:

„haec [2]) finis Priami, fatorum hic exitus illum
„sorte tulit."

Quaerendum est utrum post verbum „Priami" an post vocabulum „fatorum" sit interpungendum. Viri docti Dietschius [3]), Conington, alii, verba, quae sunt „Priami fatorum", coniungenda esse putant has ob causas: (*a*) de fortuna Priami dicitur apud Hom. Ω 255 ss., 493 ss., 543 ss., atque locutio Πριαμικαὶ τύχαι, quae apud Arist. Eth. Nic. 1 legitur, quasi in adagium venit (Coningt.); (*b*) verba spectant ad vs. 506 (Dietsch.); (*c*) vis, quae in anastrophe est, deleatur, si post vocem „Priami" ponatur comma (Dietsch.). Ad primum quod attinet, nulla est causa, cur hic quoque illa verba esse coniungenda opinemur; melius quidem se habere videtur argumentum secundum, sed recte vir doctus Conington adnotat illo loco verbo, quod est „fata", aliam vim inesse. Quod ad tertium, si vis,

1) o. l. p. 4.

2) Nullum est dubium quin pronomen „haec", non „hic", quod praebent nonnulli inferiores codices, sit legendum.

3) o. l. p. 23.

quae est in anastrophe, minuatur (quod non omnino concedere possum) alia res multo maior ac gravior videtur significari. Memoria teneas, quaeso, poetam hoc loco *pium* Æneam Didoni fecisse narrantem quonam modo Priamus interfectus esset. Mors crudelis fuit; sed sic placuit diis, quam sententiam esse colligendam e verbis: „fatorum . . . sorte" facile perspicitur. Quisnam fata sortitur? Audiatur ipse poeta: „sic fata deum rex Sortitur volvitque vices, is vertitur ordo" [1]). Conferantur praeterea A. II vss. 426—7, ubi sermo est de morte Rhipei, qui omnium Troianorum iustissimus et servantissimus aequi fuit. Homines non exspectabant fore ut de illo ita fieret, sed „dis aliter visum", quae ad verba vir doctus Conington rectissime adnotavit: „the expression is one of piety, as we might say *Heaven's ways are not as ours*". Eandem ad rem, mea quidem sententia, hic spectavit poeta. Quod si ita est, non est cur cum Heynio, Servium secuto, putes, sortem idem significare ac fatalem necessitatem. — Eadem sortitionis vis invenitur G. IV 265, A. I 508, II 201, V 132, aliis locis.

(*c*). Quem ad modum apud alios scriptores, sic apud Vergilium sortis voce significantur *oracula, dicta deorum,* ut apparet ex A. VI 72:

„hic ego namque tuas sortes arcanaque fata
„dicta meae genti ponam."

Aptissime sortes vocantur Sibyllae responsa. Haec enim in palmarum foliis scribebantur atque „in numerum digerebantur (vs. 74). — Cff. praeterea A. IV 346, 377; VII 254, 269.

(*d*). Per oracula dii voluntatem suam indicant de rebus

1) Cf. III 375—6.

futuris. Ipsas igitur res a diis constitutas cum secundas tum adversas nominari sortes facile intellegitur. Sic Euander, cum Pallantis corpus mortuum vidisset, exclamavit: „sors ista senectae Debita erat nostrae" [1]). Ad voces, quae sunt „debita erat", Conington adnotavit: „in the counsels of destiny". Quod tamen manifestum non est. Scimus enim quo tempore Pallas cum Ænea proficisceretur ad pugnandum, Euandrum deos potissimumque Iovem invocavisse ut servaretur filius [2]). Filius autem in acie cecidit; qua de causa? ipse Euander respondeat: „et nulli exaudita deorum Vota precesque meae!" [3]). — Neque aliter, nisi fallor, est iudicandum de A. VI 332: „(Anchisa satus) multa putans, sortemque animi miseratus iniquam". Haec verba re vera sunt pulcherrima. Sic pius Æneas, ita permulti secum reputaverunt et reputant illam iniquam hominum sortem; hanc rem a diis pendere poetae esse persuasum quis negabit? Omnes enim res, quae in hominum vita fiunt, cum maximas tum minimas diis adscribi a poeta iam supra vidimus. Itaque iis locis, ubi sortis voce significatur fortuna [4]), finis [5]), poetam putavisse has res a diis aut potius a Iove sic esse statutas, non fato manifestum est. Hoc dilucide apparet ex A. X 501—2:

„nescia mens hominum fati sortisque futurae
„et servare modum rebus sublata secundis!"

Sermo est de Turno, qui Pallantis interfecti balteum

1) Cf. XI vss. 165—6.
2) Cf. VIII 571 ss.
3) Cf. XI 157—8.
4) Cff. XII 54, 932, alii.
5) Cff. X 450, V 190, alii.

sibi induit. Egit suo detrimento, quoniam Æneas victor, precibus commotus, servavisset Turnum, nisi vidisset illum Pallantis balteum. Quae omnia sunt facta, cum esset statutum ut Turnus ab Ænea interficeretur. Quis constituit? Numne fatum? Non ita. Ipse Genitor vel Iuppiter (cf. XII 843 ss.). Itaque voces, quae sunt „fati sortisque futurae", referendas esse ad Iovis decreta, quorum nescia sit hominum mens, perspicuum est.

Itaque ex iis, quae de sortis voce cum vocabulo, quod est „fatum", saepe coniuncta, invenimus, apparuit nullam esse causam, cur de illo fato Stoico cogitaremus ad res statutas quod attinet.

Alia autem quaestio inde exoritur. Si enim omnes res ita sunt definitae ut nihil sine deorum voluntate eveniat, quonam modo fit ut saepenumero inveniantur apud poetam voces, quae sunt casus, fors, fortuna. Sic e. gr. legimus A. IX 211: „si quis in adversum rapiat casusve deusve, Te superesse velim" (cf. XII 321); XII 677: „quo deus et quo dura vocat fortuna, sequamur" (cf. XII 147). Notiones enim, quae hisce verbis insunt, prorsus repugnare videntur illi sententiae. Quam quaestionem ad solvendam necesse est ut investigemus quasnam significationes apud poetam habeant illae voces. Transeo igitur ad alteram huiusce capitis partem.

2. De casu et fortuna apud poetam.

(*a*). De voce, quae est „*casus*". Principalis *cadendi* notio occurrit A. V 453, ubi voci *calamitatis vim* quoque inesse facile perspicitur. Haec significatio, quacum artissime cohaerent laborum, periculorum, finis, mortis, ruinae aut excidii notiones, saepe reperitur. Ut nonnulla adferam exempla, sunt commemorandi A. II 265: „di prohibete

minas: di, talem avertite casum"; XI 24: „iter emensi casus superavimus omnis"; II 507: „urbis uti captae casum convolsaque vidit Limina tectorum"[1]). Interdum periculi notio abest; cf. III 299—300; VIII 533. — Omnibus hisce significationibus nihil inest, quod contra illam sententiam, omnia sc.a diis statui ac regi, repugnet. Accedit quod haec vox nonnullis locis significare videtur id quod est constans atque certum. Haec verbi vis apparet ex A. I 615:

„quis te, nate dea, per tanta pericula casus
„insequitur?"

Sermo enim non est de variis casibus, ut e. gr. I 90, sed de uno eodemque casu, qui Ænean semper persequi dicitur. Hanc ob causam mihi videtur Conington minus recte adnotavisse: „τίς τύχη." Nam vox, quae est τύχη, non rem constantem, sed adventiciam indicat, quae notio autem hoc loco non invenitur. Recte vir doctus laudavit A. I 240, ubi legimus: „nunc eadem fortuna viros tot casibus actos Insequitur," sed hic locus opinionem nostram videtur confirmare. Pronomen enim, quod est „eadem", respicit ad prioris versus vocem, quae est „fata". De τύχη igitur neque hoc neque illo loco est cogitandum. Fortasse hoc sensu verbum est intellegendum A. III 317: „heu! quis te casus deiectam coniuge tanto Excipit?" Praestat autem verbum non nimis premi.

Nihilominus restant loci nonnulli, quibus significat id quod Belgice vocamus „toeval". Scriptum legitur A. V 201: „attulit ipse viris optatum casus honorem." Verbi vis etiam augetur pronomine, quod est „ipse", addito, quod hoc loco idem fere valet ac „solus"[2]). At textum, qui

1) Cff. G. II 68; A. I 9, 204, 240 passim.
2) Cf. Wagn. Quaest. Virg. XVIII 2, q.

vocatur, si spectamus, manifestum est hanc locutionem magis pertinere ad sermonem vulgarem quam ut poetam de eiusmodi rebus ita sensisse inde concludas. Cloanthus enim ceteros diis adiuvantibus (cf. vs. 234 ss.) vicit; Mnestheum poeta facit dicentem victoriam a diis pendere (vs. 195). Ex his facile cernitur quid re vera de eiusmodi rebus senserit poeta. Locutio igitur non ad vivum est resecanda; si etiam nos, quamquam omnes vel minimas res [1]) nonnisi Deo volente fieri credimus, tamen saepe eiusmodi locutionibus utimur, e. g. „ik ontmoette hem *toevallig* in de straat" [2]), minime est mirum eos, qui Sacris Scripturis eguerint, ita dixisse. Video idem fere de Graecis virum doctum Schmidtium dixisse: „wenn hier und da auch der Zufall im engeren Sinne als ein Moment im menschlichen Leben erwähnt wird, so liegt darin kein Widerspruch gegen die eben entwickelte Anschauung; kommen doch ähnliche Nachlässigkeiten des Ausdrucks, durch welche statt des Wesens der äussere Schein bezeichnet, der tiefere Grund der Dinge nicht berührt wird, bei allen Völkern

1) Cf. Iona IV 7; Matth. X 29, 30.

2) Cf. ea, quae ipse Iesus Christus *ἐν παραβολῇ* agens de Samaritano illo misericordi dixit Eu. ad Luc. X 31: „*κατὰ συγκυρίαν δὲ ἱερεύς τις κατέβαινεν ἐν τῇ ὁδῷ ἐκείνῃ* e. q. s." Praeterea licet revocare ad Ruth II 3; 2 Sam. I 6; XX 1; Eccl. IX 11. Notandum est Philistinos, quos verum Deum non coluisse notum est, casum Deo opponi putavisse, ut apparet ex 1 Sam. VI 9. — Audiatur de hac re vir doctus H. Bavinck, Geref. Dogm. II (1908[2]) p. 650: „maar de leer van het toeval is niet beter dan die van het noodlot. Fatum kon desnoods nog eene goede beteekenis hebben in de Christelijke levens- en wereldbeschouwing; maar casus en fortuna zijn door en door onchristelijk. *Toevallig is iets alleen in der menschen oog, wijl zij op dat oogenblik de oorzaak niet weten. Maar objectief toevallig is er niets en kan er niets zijn. Alles moet eene oorzaak hebben en heeft die ter laatste instantie in den almachtigen en alwijzen wil van God.*"

vor, und vermeidet es doch heutigen Tages auch der gläubigste Verehrer der göttlichen Vorsehung nicht, gelegentlich von Zufall zu reden" [1]). Praeterea memoria tenendum est, quod ad hunc locum attinet, ipsum casum a poeta non deo opponi sed nautarum contentioni et labori.

At distinctis verbis sermo est de deo et casu A. IX 211: „si quis in adversum rapiat casusve deusve". Vir doctus Conington putat voce, quae est „deus", intellegendum esse deum inimicum, ita ut discrimen sit inter ea, quae casui adscribantur et ea, quae inimico deo tribuantur. Praeterea accedit quod si attendimus ad ea, quae commemorantur vss. 208, 9: „ita me referat tibi magnus ovantem Iuppiter, aut quicumque oculis haec aspicit aequis", poeta videtur hoc loco fecisse Nisum dicentem: *a*) res secundas a summo deo statui, *b*) res adversas aut casui aut deo alicui inimico adscribi. Hoc vero prorsus abhorret ab iis, quae de summo deo poetam sensisse iam invenimus: non solum enim res secundae sed etiam res adversae ex dei summi voluntate fiunt. Quare mea quidem sententia voce „deus" (vs. 211) poeta intellexit eundem deum, qui Iuppiter versu 209 vocatur. Sed res si ita se habet, sequitur ut casus opponatur summo deo. At tantum abest ut poeta re vera sic opinatus sit, ut ex hac locutione contrarium sit efficiendum. Quidnam est factum quo Euryalus ab hostibus interficeretur? Haec res narratur vss. 373—5: „et galea Euryalum sublustri noctis in umbra Prodidit immemorem radiisque adversa refulsit. Haud temere est visum". Quae si legimus, ipsum Euryalum in culpa fuisse manifestum est, quippe qui galeae suae fulgoris rationem non habuerit.

1) Cf. L. Schmidt, Die Ethik der alten Griechen, I p. 54.

Quae omnia quamquam poeta in animo habebat, tamen de „casuve deove" Nisum dicere fecit. Perspicuum igitur est de casu poetam saltem non cogitavisse; utitur quidem sermone vulgari, sed hunc minuit; immo vero quod ob Euryali imprudentiam accidit, id non sine dei voluntate esse factum poeta videtur significare [1]). — Idem mihi videtur iudicandum esse de A. XII 321. Sed haec satis.

Iam transgrediamur ut de fortuna apud poetam pauca verba faciamus.

(*b*). De *fortuna* apud poetam.

Multis locis apud Vergilium verbum, quod est „fortuna", nihil significat nisi res secundas [2]), res adversas [3]), eventum bonum vel adversum [4]). Omnes hae et eiusmodi significationes sunt praetermittendae, quoniam omnino non pugnant cum eo quod ab aeternitate res omnes sunt definitae ac statutae.

Nonnulli autem sunt loci, ubi res non secundum rationem atque consilium, sed secundum τύχην fieri dicuntur. Eo tempore, quo bellis civilibus perturbabantur omnes

---

1) Recte de hac re mihi videtur censuisse vir doctus R. S. Conway, An unnoticed aspect of Vergil's personality, (Class. Assoc. Proceedings, Oct. 1906) p. 31: „Vergil seems to assign the same event both to what we commonly call a natural human cause and in the same breath to some supernatural decree of the fates or the gods"; p. 33: „I believe that in all these cases Vergil's ambiguity is deliberate. If I were to put into words a question which he is willing that his readers should ask, I think it would be this: Are the two alternatives really as distinct as you suppose? Is the notion of human or natural causation really inconsistent with the intervening, co-working influence of the Power behind the veil?"

2) Cff. G. IV 209, A. I 454, III 16, VII 413, IX 260 alii.

3) Cff. A. II 350, III 609, IV 434, VI 532 alii.

4) Cff. G. III 452, A. II 385, IV 603, VII 559, XII 694 alii.

res, quo alias alia fiebant, quo ipse Vergilius e fundo suo expulsus est [1]), poeta cecinit:

„nunc victi tristes, quoniam fors omnia versat,
„hos illi (quod nec vertat bene!) mittimus haedos" [2]).

Vir doctus Burmannus, Cerdam et Pierium secutus, legendum esse verbum, quod est „sors", coniecit. Hanc autem opinionem minime esse probandam viri docti recte dixerunt.. Quamquam vocabula, quae sunt „sors" et „fors", saepius in codicibus confundi notum est, tamen hoc loco nullum est dubium quin vox „fors" sit scribenda. Haec enim lectio omnibus fere codicibus et Anth. Lat. firmatur. Accedit quod locutionem „sors versat" Latine non recte dici Wagnerus iure monuit. Contra verba, quae sunt „fors omnia versat", optime se habent; fors enim est caeca quaedam vis, quippe quae res humanas consilio nullo certo ac firmo regat; quod si ita est, homines quoque re vera nominantur „tristes"; non iam enim est fides neque spes. Recte igitur Conington dixit verbum „fors" hoc loco premendum esse „since things are regulated by chance, which makes void the rights of property".— Num eadem verbi vis inveniatur A. XII 40, ubi legimus: „fors dicta refutet" dubitandum esse opinor has ob causas: 1°. haec verba a Latino esse dicta, quem omnia divinitus esse statuta credentem poeta multis locis depinxerit;

---

1) Cf. Merivale, History of the Roman Empire, vol. III p. 222: „the spoliation spread from the suburban lands to remote tracts, from municipal to private possessions. Even loyalty to the Caesarian party proved of no avail: the faithful Mantua shared the fate of its neighbour, the disaffected Cremona; and the little township of Andes, Virgil's birthplace, in the Mantuan territory, was involved in the calamities of its metropolis." (Cf. Conington, Proleg. ad Ec. I).

2) Ec IX 5—6.

2°. hanc locutionem nos admonere eorum, quae parenthetice (ut aiunt) dicuntur A. II 190: „quod di prius omen in ipsum Convertant!" Hic igitur verbum, quod est „fors", idem fere sonare videtur atque vocabulum „fortuna", quod pro fato saepe apud poetam usurpari mox apparebit. Sed ut videas poetam, quamvis homines de forte dicentes interdum fecerit, tamen re vera de deo cogitavisse, conferas, quaeso, A. I 377 et III 715. Loco priore Æneas Veneri se *forte* ad Libycas oras pervenisse; loco altero de eadem re Didoni Æneas narrat: „hinc me digressum vestris *deus* appulit oris" (cf. etiam III 338). Quonam modo hic usus est explicandus? Estne hinc coniciendum poetam sibi non constitisse? Non ita, nisi fallor. Eximio modo poeta sic descripsit hominum ignorantiam earum rerum, quae divinitus eveniunt [1]). Verissime igitur Conington adnotavit: „after Æneas had told Venus I 377 that he had been driven on the African coast by accidental stress of weather, in speaking to Dido III 715 he ascribes the event to a god, meaning apparently that he now sees it is a friendly providence, not accident" [2]). Eadem res etiam nunc saepissime auditur.

Quae cum ita sint mirum non est verbum, quod est

1) Cf. de hac re Calv. Inst. Chr. rel. I, 16, 9: „quoniam tamen longe infra providentiae Dei altitudinem subsidit mentis nostra tarditas, adhibenda est ea quae eam sublevet distinctio. Dicam igitur, utcumque ordinentur omnia Dei consilio certa dispensatione, nobis tamen esse fortuita. Non quod fortunam reputemus mundo ac hominibus dominari, temereque omnia sursum deorsum volutare (abesse enim a christiano pectore decet hanc vecordiam); sed quoniam eorum quae eveniunt, ordo, ratio, finis, necessitas, ut plurimum in Dei consilio latet, et humana opinione non apprehenditur, quasi fortuita sunt, quae certum est ex Dei voluntate provenire. Non enim aliam imaginem prae se ferunt aut in natura sua considerata(e), aut secundum notitiam nostram iudiciumque aestimata(e)."

2) Cf. adn. ad IX 211.

„fortuna", nonnullis locis legi, ubi voces, quae sunt „deus" et „fatum", inveniuntur. Sic scriptum legitur A. XII 676—7:

„iam iam fata, soror, superant, absiste morari;
„quo deus et quo dura vocat fortuna, sequamur."

Fortunae vox hic prorsus idem sonat atque ap. Cic. de nat. deor. III § 61, ubi leguntur: „quo in genere vel maxime est Fortuna numeranda, quam nemo ab inconstantia et temeritate seiunget, quae digna certe non sunt deo." Fortuna enim omnino contraria est rationi et constantiae [1]). Prorsus aliter res hoc loco se habet; nam poetam spectare ad id, quod de Turno constituerat Iuppiter, e libro XII facile est colligendum. Commemorandus est praeterea A. VIII 334, ubi fortuna vocatur omnipotens et coniungitur cum ineluctabili fato. Profecto non minoris est momenti versibus sequentibus sermonem esse de oraculis: „matrisque egere tremenda Carmentis nymphae monita et deus auctor Apollo" (vss. 335—6). Fortuna igitur non per se est omnipotens, sed eius vis ac potestas a diis, nisi fallor, derivatur. Inconstantiae enim notio excluditur, quoniam oracula non pertinent ad res mutabiles, sed ad ea, quae firmiter sunt statuta.

Porro si memoria tenemus, quae capite secundo disseruimus de ratione, quae Iovi sit cum ceteris diis, neque obliviscimur Apollinem non dicere nisi quae Iuppiter praedixisset, poetam docuisse, omnipotentem fortunam ad Iovis decreta referri concedendum est. Quod si ita est, minime mihi videtur probanda opinio Servii (quem Conington sequi videtur) dicentis hoc loco secundum Stoicos fortunam ad vitae humanae res incertas, et

1) Cf. Cic. de divin. II § 18.

fatum ad nascendi moriendique tempora spectare [1]). Nulla enim ratione mentio hoc loco fit de vitae initio aut fine, sed de iis rebus ipsis, quae in vita humana saepissime fiunt, homines scilicet ex alio loco expulsos ad alium locum ire. Ad has res cum fortunam tum fatum pertinere manifestum est, neque haec verba hic saltem esse synonyma [2]) mihi non est persuasum. Sed non semper (quod per se intellegitur) apud poetam haec verba esse synonyma patet ex A. VI 683, ubi invenimus:

... (Anchises recensebat)
„fataque fortunasque virum moresque manusque".

Minus recte Servius dixit felicitatem aut fatalem esse, aut fortuitam, aut a virtute pendere; unusquisque videt hanc explicandi rationem minime esse probandam, cum particula „aut" usurpetur pro „que" a poeta scripta. Neque manifestum non est qua de causa Servius ita scripserit; putavit enim fortunas esse res fortuitas vel incertas atque sensit absurdum esse dici felicitatem *et* fatalem *et* fortuitam. Inde igitur facile perspicitur vocem, quae est „fortunae", hic significare non posse res fortuitas. Praeterea tenendum est hoc loco sermonem esse de praesensione et scientia futurarum rerum. Quae res futurae

---

1) Cf. Serv. ad loc: „secundum Stoicos locutus est, qui nasci et mori fatis dant, media omnia fortunae; nam vitae humanae incerta sunt omnia, unde et miscuit, ut quasi plenum ostenderet dogma: nam nihil tam contrarium est fato quam casus; sed secundum Stoicos dixit."

2) Cf. V 22: „superat quoniam fortuna, sequamur,
„quoque vocat, vertamus iter."
V 709: „nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur."
X 49: „et, quamcunque viam dederit fortuna, sequatur."
III 337: „sed tibi qui cursum venti, quae fata dedere?"
Vid. praeterea IV 653, XI 128; G. IV 496; Cir. 313.

igitur si sunt fortuitae, quanam ratione Anchises eiusmodi res praesentire potuit? Cicero dixisset Vergilium Anchisen ita depinxisse ut maius posset quam deus potest; „nihil enim", inquit Cicero, „est tam contrarium rationi et constantiae quam fortuna, ut mihi ne in deum quidem cadere videatur, ut sciat, quid casu et fortuito futurum sit" [1]). Hanc ob causam etiam reicienda est opinio Fabricii dicentis fortunas esse eas res, quae sunt „in hominum manu" [2]). Praeterea huic interpretationi obstat, nisi fallor, ipsa verborum collocatio. Non enim parvi est momenti poetam verbo, quod est „virum", versum in duas partes divisisse atque illa *παρηχήσει*, pertinente ad veterem Latinum sermonem, usum ostendisse quaenam notiones essent coniungendae [3]).

Poeta igitur, mea quidem sententia, hoc indicare voluit ex altera parte omnes res in hominum vita esse consti-

---

1) Cf. de div. II § 18. Pergit hunc in modum: „si enim scit, certe illud eveniet; sin certe eveniet, nulla fortuna est; est autem fortuna; rerum igitur fortuitarum nulla praesensio est. (§ 19) Aut si negas esse fortunam et omnia, quae fiunt quaeque futura sunt, ex omni aeternitate definita dicis esse fataliter, muta definitionem divinationis, quam dicebas praesensionem esse rerum fortuitarum."

2) Cf. o. l. p. 6: „fortuna in hominum manu est, fortuna mihi videtur quasi mobilis et mutabilis contraria fato, quod est immobile et immutabile. Neque aliud nisi illo modo explicari potest illud VI 683, quo pater Anchises in amoenis virectis fortunatorum nemorum recensebat fata fortunasque virum moresque manusque i. e. Æneas (*sic!*) recensebat fortunas, quas perferre aut effugere in nepotum manu est et fata quae mutari non possunt, quae immutabili omnipotentis numine perferenda sunt."

3) Cf. Norden. o. l. ad loc.: „besonders charakteristisch ist die Alliterationsform in 683, wodurch zwei Paare von Begriffen, die an den Anfang und Schluss des Verses gestellt und in der Mitte durch einen beiden gemeinsamen Begriff getrennt sind, durch Gleichklang gebunden werden ... Das ist im alten Latein die ... beliebteste Form."

tutas ac definitas, ab altera vero parte quomodo ipsi homines se gerant quaeque faciant maximi esse momenti; Vergilius spectavit ad id, quod Belgice vocamus „de goddelijke en menschelijke factor". Hanc sententiam in totius operis ac potissimum libri sexti rationes optime quadrare negari non potest.

Quae omnia si memoria tenemus, facile perspicitur fortunas artissime cohaerere cum fatis, ita ut illis indicatur qua ratione haec expleantur [1]). Quae cum ita sint, sequitur ut fortunae quoque sint definitae neque verbo inconstantiae notio insit. Idem apparet ex A. XII 147, ubi invenimus:

„qua visa est fortuna pati Parcaeque sinebant
„cedere res Latio, Turnum et tua moenia texi."

Recte Wagnerus adnotat illud „qua" pertinere ad modum rationemque rei gerendae, sed ipsam eam rationem esse definitam neque esse adventiciam facile cernitur ex eo, quod fortuna cum Parcis est coniuncta. Idem videtur Servius [2]) sensisse dicens hoc loco sermonem esse de rebus statutis neque aliter censuit Aldenhovenius, qui dixit locutionem, quae est „fortuna . . . Parcae" idem fere sonare atque ea, quae Germanice dicuntur „Zeit und

---

1) Quamquam ad verbi „fata" interpretationem quod attinet mihi non convenit cum Dietschio, tamen recte explicavit hunc locum: „*fata* intelliges ea esse, quae ut expleant aut consequantur, immutabili necessitatis lege Æneae posteris constitutum sit (Albae, Romae, aliarum urbium, exstructionem, Carthaginem deletam, orbem terrarum domitum) *fortunas*, quae iis, dum illa fata exsequantur, eventura sint" (o. l. p. 29).

2) Haec sententia facile efficitur ex iis, quae adnotavit : „sane latenter ostendit, favorem numinum sine concessione fatorum non posse procedere"; sed deum fati non esse nisi ministrum concedere non possum, quod infra ostendere conabor.

Umstände"; sed non ita ut constantiae notio excludatur [1]).

Quodsi ita est, necesse est inquiri, qua de causa poeta usus sit illis verbis: „fors omnia versat", ubi vocem „fors" significare fortunam caecam apparuit.

Fieri potest ut hic de Epicuri doctrina sit cogitandum [2]). Nihil enim divinitus fieri Epicurus eiusque sectatores docuerunt; omnia ex causis physicis sunt explicanda; omnia ex atomorum concursione fiunt; sed atomos ad lineam deorsus ferri sibi finxit Epicurus; unde e necessario sequitur ut nusquam altera atomus alteram attingere possit, quam ob causam nihil exsistat; hanc vero difficultatem effugit Epicurus dicens declinavisse perpaullum atomum. Itaque ipsa declinatio ad libidinem fingitur. Totius igitur huius systematis hoc est fundamentum ut res fortuito fiant. Accedit quod Cicero distinctis verbis dixit eam atomi

---

1) Cf. o. l. p. 59: „A. XII 147 kann nur folgendes bezeichnen: so lange die Umstände noch derart waren, dass ich für meine schirmende Thätigkeit auf Erfolg rechnen konnte, und die Zeit bis zur Katastrophe noch nicht erfüllt war u. s. w., so dass Fortuna und Parcen dasselbe bezeichnen, wie wenn wir 'Zeit und Umstände' verbinden. Dass aber beide ein fatum zu erfüllen haben, ist der Juno wohlbekannt." Cf. praeterea Kunz o. l. p. 10.

2) Cf. Aldenhoven. o. l. p. 49: „wird aber der Zufall oder, was alsdann Dasselbe ist, das blinde Glück zu einer persönlichen Macht erhoben, die also mehr sein soll, als eine poetische Fiction, in der etwa nur jene Kurzsichtigkeit und Stimmung ihren Ausdruck fände, so kann er als das Prinzip der Regellosigkeit schlechterdings nur als die Negation der Weltregierung, nicht wesentlich verschieden von jenem 'Geist, der stets verneint und dennoch schaffen muss' aufgefasst werden; und je mehr Herrschaft ihm über Welt und Menschen zugeschrieben wird, desto mehr gewinnt der Gedanke Raum, das eben gar Nichts dieselben regiere, weshalb auch der Epicureismus . . . . jede Regel leugnete und in der Fortuna nur ein Bild für diese Regellosigkeit haben konnte."

declinationem Epicurum induxisse ut necessitatem fati effugeret[1]).

Quamquam res ita se habet ad illius doctrinae summam quod attinet, tamen tenendum est Epicurum ipsum id egisse ut omnibus rebus explicandis e naturae legibus certis ac firmis nullus fortunae locus relinqueretur. Quare mea quidem sententia illa verba Vergiliana ad hanc doctrinam non sunt referenda.

Haec autem quaestio solvenda esse mihi videtur ex notionibus, quae de Τύχη vigebant Alexandri Magni temporibus; tunc enim temporis fortunam caecam dominari omnibus rebus magnam partem credebant homines. Sed monendum est inter horum temporum et priorum saeculorum notiones, quas de Τύχη sibi fingerent homines, magnum fuisse discrimen. Veteres quidem Graeci saepissime de Τύχη dixerunt, sed non ita ut res fortuito fieri putarent. Contra Τύχη ad deos refertur apud Æsch. *Sept.* 493—5, ad quem locum scholiasta adnotat: „*τά ἀπὸ τῆς τύχης Ἑρμῇ ἀναφέρουσιν*"; cf. praeterea *Choeph.* 211—212; 779—81. Porro invenimus *τὴν* Τύχην esse coniunctam cum *τῷ πεπρωμένῳ* *Agam.* 688—90; cum *τῇ μοίρᾳ* *Sept.* loco iam

1) Cf. de fato 10, 22: „Epicurus declinatione atomi vitari necessitatem fati putat ... quam declinationem sine causa fieri si minus verbis, re cogitur confiteri. non enim atomus ab atomo pulsa declinat. nam qui potest pelli alia ab alia, si gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua rectis lineis? ... ex quo efficitur, etiam si sit atomus eaque declinet, declinare sine causa. Hanc Epicurus rationem induxit ob eam rem, quod veritus est ne si semper atomus gravitate ferretur naturali ac necessaria, nihil liberum nobis esset, cum ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur." Cf. de nat. deor. I c. 25, § 69: „Epicurus cum videret, si atomi ferrentur in locum inferiorem suopte pondere, nihil fore in nostra potestate, quod esset earum motus certus et necessarius, invenit quo modo necessitatem effugeret." (Usen. Epic. pp. 199 ss.) Vide etiam ea, quae vir doctus J. Woltjerus de hac re disputavit o. l. (Lucr. phil.) p. 38 ss.

allato. Pausanias tradit Μοιρῶν unam a Pindaro vocari Τύχην[1]). Eodem modo vir doctus Schmidtius ostendit oratores Atticos aliosque scriptores eam vocem cum diis coniunxisse[2]). Nec vero est negandum etiam apud veteres Graecos hanc vocem pertinere ad res fortuitas, sed non quo diis ita sint, sed quia tales sunt hominibus[3]). Attamen licet commemorare nonnullos Euripideos et Sophocleos locos, ubi ἡ Τύχη potentior diis esse habetur (*Cycl.* 606—7), aut in dubium vocatur utrum fortuna regat omnia an dii (*Hec.* 488 ss.), aut fortunae res omnes adscribuntur (*OT.* 977, *Ant.* 1158)[4]). Haec autem opinio iis temporibus omnino non communis erat, sed ex Alexandri Magni aetate demum mirum quantum vigebat. „Vor dem Untergange", inquit Schmidtius, „der griechischen Freiheit sprach man zuweilen vom Zufall, nach demselben glaubte man an ihn: was vor demselben vorherrschend nur eine Flüchtigkeit des Ausdrücks, ein Halten an die Erscheinung statt an die Sache gewesen war, das gestaltete sich nach ihm zu einer ganz ernstlich gemeinten Betrachtungsweise der Dinge"[5]). Haec res artissime cohaerebat cum multis ac magnis rebus, quae illis temporibus fiebant; maximae civitates, quae multa per saecula plurimum poterant, fun-

1) Paus. VII 26, 8: „*ἐγὼ μὲν οὖν Πινδάρου τά τε ἄλλα πείθομαι τῇ ᾠδῇ, καὶ Μοιρῶν τε εἶναι μίαν τὴν Τύχην καὶ ὑπὲρ τὰς ἀδελφάς τε ἰσχύειν.*" (Cf. Fischer o. l. pp. 35—36.)

2) Cf. o. l. I p. 54 ss. Vid. praeterea O. Gruppe, Griech. Myth. u. Religionsgeschichte, II p. 1086 adn. 3.

3) Cf. Schmidt l.l.

4) l.l.

5) Cf. o. l. p. 56. Cf. F. Poland, Geschichte des griech. Vereinswesens (Lpz. 1909) p. 226: „vor allem aber gewinnt seit Hellenistischer Zeit wie überhaupt in der griechischen Welt, so auch im Vereinsleben die Göttin des Glücks *Τύχη* Bedeutung."

ditus eversae ac prostratae sunt; parvae autem gentes ad summam potentiam subito et contra omnium opinionem pervenerunt, omnes res sine ratione, sine consilio fieri visae sunt; perturbata sunt omnia; hominibus nec spes nec fides fuit. Homines igitur in eiusmodi rebus versatos fortunam caecam regere omnia omnibusque dominari credidisse facile intellegitur [1]). Porro si memoria tenemus, quanti hisce temporibus fuerint momenti Graeci ad Romanos [2]), nullo modo est dubitandum quin hi ab illis acceperint tales opiniones de fortuna. Constat enim de hac re Romanos quoque antiquis temporibus aliud cogitavisse [3]).

1) Facere non possum quin hic laudem ea, quae de Alexandri Magni temporibus vir doctus Wendlandius dicit o. l. p. 104: „die rasch auf einander folgenden Staatsumwälzungen und grossen Katastrophen der hellenistischen Zeit rufen bei der Menschheit ein Gefühl vollständiger Unsicherheit und Unbeständigkeit aller Verhältnisse hervor, erschüttern das Vertrauen auf die Zulänglichkeit der eigenen Kraft und auf das Regiment der alten Götter. Dieser Weltenlauf scheint von der *Τύχη* beherrscht, die nach Laune und Willkür Reiche zerstört und neue schafft, das Hohe erniedrigt und das Niedrige erhöht, die ihre Macht in ruhe- und regellosen Wechsel, am liebsten in ganz unerwarteten Schickungen offenbart. Die Tyche dichtet unser Leben. Die Menschheit ist ein Spielball ihrer Launen. Sie kann ihre äusseren Geschicke so wenig bestimmen wie das Wetter."

2) Recorderis, quaeso, Horatiana verba clarissima: „Graecia capta ferum victorem cepit" (Ep. II 1, 156).

3) Cf. Wissowa o. l. p. 256 ss. Idem iudicat vir doctus Otto, qui dicit: „bei dem Wort *fortuna* (und *fors*) und der gleichnamigen Göttin dachte die spätere Zeit vornehmlich an den blinden Zufall, im Gegensatz zur göttlichen Vorsehung ... Ursprünglich war das anders. *Fors* und *fortuna* bedeuten zunächst das Kommende, die Schickung ... und werden ... mit den Göttern in Zusammenhang gebracht (cf. Cic. de imp. Cn. Pom. 45: „nisi ad ipsum discrimen eius temporis divinitus Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna populi Romani attulisset. Liv. I, 4, 4 forte quadam divinitus ...). Cf. Pauly — Wissowa, Real. Encycl. *i. v.* Fortuna, col. 12. De hoc verbi usu apud Romanos mentionem non faciunt viri docti Drexler (cf. Roscher, Ausf. Lex. d. Gr. u. R. Myth. *i. v.* col. 1500 ss.) Hild (cf. Daremberg et Saglio, *i. v.* p. 1268).

Accedit quod ultimo Romanae rei publicae saeculo res omnes eodem modo inter se confundebantur propter magna multaque bella civilia. Quis igitur est qui miretur in tali tempore eandem opinionem de fortuna apud scriptores inveniri? Sic scriptum legitur apud Sallustium: „sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas, ex libidine magis quam ex vero, celebrat obscuratque" [1]); Horatius de fortunae insolenti ludo cecinit [2]); subitam rerum commutationem fortunae adscribit Corn. Nepos [3]). — Quibus omnibus consideratis iam intellegetur, qui factum

1) Cat. 8. Cf. 10: „sed ubi labore atque iustitia respublica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperii Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant, saevire fortuna, ac miscere omnia, coepit."

2) Carm. III 29, 49:

„Fortuna, saevo laeta negotio et
„ludum insolentem ludere pertinax
„transmutat incertos honores
„nunc mihi, nunc alii benigna."

Cf. praeterea Carm. II 1, 3; Sat. II 8, 61: „heu, Fortuna, quis est crudelior in nos Te deus: ut semper gaudes inludere rebus humanis." Vid. etiam Ov. Tr. III 7, 41; V, 8, 15; Cic. Parad. I, 1, 9; Liv. XXX, 30, 5 et multos alios locos a viro docto Aldenhovenio o. l. p. 48 allatos.

3) Cf. Dion. 6: „has tam prosperas tamque inopinatas res consecuta est subita commutatio, quod fortuna sua mobilitate, quem paulo ante extulerat, demergere est adorta."

Haec opinio tempore procedente magis magisque vigebat ita ut denique imperatoribus regentibus fortuna sola coleretur, cuius rei est documento notissimus locus ap. Plin. Nat. Hist. II, 22: „toto quippe mundo et omnibus locis omnibusque horis omnium vocibus Fortuna sola invocatur ac nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur. Et cum conviciis colitur, volubilis, a plerisque vero et caeca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque fautrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, et in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit." Cf. Iuven. 10, 305/6 = 14, 315/6 (Wendland. o. l. p. 104 adn. 3).

sit ut Vergilius quoque scriberet illa: „fors omnia versat". Notatu vero est dignissimum hanc opinionem tantum illo uno loco in Bucolicis solis occurrere neque in ceteris operibus, quod sciam, reperiri. Contra toto Æneidos carmine demonstratur poetae ex animo esse persuasum nihil fortuito fieri, sed omnia esse definita. Fortuna igitur apud poetam non est, quod Belgice vocatur „blind toeval", sed arte est coniuncta cum diis [1]). Videmus igitur hac in re quoque Vergilium cum iis, quae credebant Romani veteres, magis consensisse, neque parvi est momenti ipsis illis temporibus illam opinionem de fortuna caeca repudiasse poetam [2]). Nec vero ullo modo est negandum in hac re

1) Adsentior igitur MacInnesio, qui de hac re recte dixit o. l. p. 173: „a question not easy to answer is: What is the place of *fortuna* in this metaphysical scheme attributed to Virgil? If the word *fortuna* were used strictly, it would imply what no theistic writer — and Virgil was such — could allow, namely that actions unpurposed by God may happen. The idea of *fortuna* denies or fails to recognize the action of an intelligent and conscious Governor of events. But in popular language men spoke of *fortuna* and its effects, though by connecting *fortuna* with *necessitas* (cf. Hor. Od. I 35, 17) they recognized that events were bound by strict laws of causation, which stretched beyond the limited vision of man."

2) Cf. ea, quae Fowlerus, agens de fortuna apud Caesarem (Class. Rev. Vol. XVII, 1903, pp. 153—156) dixit: „the tendency towards such a belief as is indicated in this strange passage (sc. loc. Plin. supra allato) was not unnatural at a time when educated men had almost entirely lost their old faith in the gods, when few had realised as Lucretius did the power of universal law of Nature, and when the influence of the Christian idea of a benevolent Providence, acting not wilfully, but according to the moral deserts of individuals and communities, (haec verba non omnibus ex partibus sunt probanda) had not yet begun to be felt in Roman Society. The nearest approach to the last view is seen perhaps in the conviction of a destiny governing the Roman State (Fortuna populi Romani), but capable of forsaking it in times of moral delinquency; *a view seen best in Virgil, and one which gives the Æneid a higher moral tone than any work in Roman literature.*"

permultum auctoritate apud poetam valuisse Stoicos [1]), sed non esse opinor, cur res *fato* (sensu Stoico dicto) esse constitutas censuisse poetam existimemus. Contrarium locis compluribus iam apparuit. Idem videtur confirmari iis, quae apud poetam de Parcis inveniuntur. Transgrediamur igitur ad hanc rem investigandam.

3. De Parcis apud Vergilium.

Inter omnes fere viros doctos hoc videtur stare veteres Romanos non *tres* Parcas, sed *unam* Parcam esse putavisse [2]); porro ex iis, quae Varro [3]), Caesellius Vindex [4]), Tertullianus [5]) de hac re tradiderunt, recte concluderunt Parcam esse deam, cui esset curae ut fetus mensibus expletis nasceretur. Inde sequi videtur ut verbum, quod est „Parca", sit referendum ad vocem, quae est „pario", ita ut „Parca" scriptum videatur esse pro vocabulo „*par(i)ca" [6]). Quod si ita est Parcam non eandem esse atque illam Graecam Μοῖραν luce clarius est, quae antea erat opinio multorum virorum doctorum, qui eam vocem derivabant a vocubalo, quod est „pars". Inde factum est ut tres Parcas esse veteres Romanos credidisse putarent. Hanc vero opinionem pugnare cum Romani

1) Cf. Wendland. o. l. p. 105: „es ist nur eine andere Gefühlsnuance, wenn neben der Tyche die *Εἱμαρμένη* (oder *Ἀνάγκη*) als alles beherrschende Macht gefeiert wird; denn unter dem Einfluss der stoischen Lehre und des immer weitere Kreise erfassenden Sternenglaubens gewinnt der Determinismus an Boden."

2) Cf. Roscher o. l. *i. v.* coll. 1569—1570 (Peter); cf. Wissowa o. l. p. 264.

3) Cf. Gell. N. A. III 16, 10.

4) Cf. Gell. o. l. III 16, 11.

5) De anima, 37.

6) Cf. Walde o. l. *i. v.*

populi natura atque indole recte arbitratur vir doctus Wissowa; Romani enim deos sibi fingere solebant ex iis, quae ad rem unam ac singularem pertinebant, non ex eiusmodi universalibus notionibus, quales verbo, quod est Μοῖρα, continentur [1]). Ad hanc consuetudinem interpretatio supra laudata optime quadrat. Ex eo igitur quod Parca curabat, ut tempore statuto nasceretur fetus, facile perspicitur Parcam non significavisse nisi temporis statuti notionem, quae divina specie indueretur. Quae res si ita se habet, Parcam non solum ad nascendi tempus sed etiam ad moriendi aliarumque rerum faciendarum tempora postea referri intellegitur. Ex hac autem principali notione per annos evolvebatur alia, ut sc. ipsa Parca statueret et ipsas res et tempora, quibus fierent. Hanc vero rem explicandam esse ex eo, quod ad scriptores Romanos maximi erant momenti Graecorum scripta, negari non potest. Eodem modo ad Graecos esse referendum huiusce vocis pluralis numeri usum videtur constare.

Ad Vergilium quod attinet duae hae res sunt tenendae, quem ad modum recte iam monuit vir doctus Aldenhovenius [2]): 1°. carmine epico poetam id egisse ut vetus Romani populi religio rursus in honore esset, quod idem in aliis rebus investigandis iam invenimus: 2°. eam ob causam raro apud poetam sermonem esse de Parcis. Inde a priori, ut ita dicam, facile est concludendum apud poetam ipsas Parcas statuere neque res quae fiant neque tempora quibus eveniant, sed perficere tantum statuto

1) Cf. o.l. p. 264: „entsprechend der Neigung des Römers, sich mit göttlicher Verkörperung des Nächstliegenden und Konkreten zu begnügen, ist der allgemeine Begriff einer über Welt und Menschheit im weitesten Umfange waltenden Schicksalsgottheit in der römischen Religion überhaupt nicht zur Ausprägung gelangt."

2) o. l. p. 45.

tempore ea, quae sint definita. At ne quis dicat me de hac re temere iudicare, ipsi loci, ubi Parcarum mentio fit, sunt inspiciendi.

Tempus, quo Turno erat moriendum, poeta hoc modo indicavit A. XII 150: „Parcarumque dies et vis inimica propinquat". Manifestum est poetam in animo habuisse Homerica illa: μόρσιμον ἦμαρ, αἴσιμον ἦμαρ, neque iniuria Servius numina, quoties viderint eos esse morituros quibus faveant, ab iis secedere monet [1]). Poeta igitur Iunonem fecit dicentem se, quoad Parcae sinerent cedere res Latio, Turnum defendisse (vs. 147), sed nunc se „non pugnam aspicere hanc oculis, non foedere posse (um)". Numne ex hisce rebus est efficiendum Parcas res statuere ita ut ipsis diis sit oboediendum? Minime, mea quidem sententia. *Primo* enim sermo est de extremo Turni die, quem non Parcas, sed Iovem statuisse dilucide ex eiusdem libri vs. 725 ss. [2]), vss. 851—2, vss. 876—7 apparet; *secundo* idem docent ipsius Iunonis verba:

„ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas
„Iuppiter, et Turnum et terras invita reliqui" [3]).

Eadem res, nisi fallor, patet ex IX 107, X 419, X 815.

Sed quamquam Parcas res non statuere e locis superioribus apparet, tamen alii sunt loci, ubi res minus est perspicua. Scriptum legitur A. I 22: „sic volvere Parcas". Mentio fit de futura potestate eorum, qui originem ducunt a Troianis. Longe lateque regnabunt, ita ut deleturi sint Carthaginem. Haec Iuno compererat atque audierat sic

1) Cf. Hom X 212—3, Stat. Theb. XII 408.

2) De hoc loco infra disputabitur.

3) Cf. XII 808—9.

volvere Parcas. Concedo primo aspectu poetam indicare videri Parcas has res statuisse. Sic putant Heynius et Wagnerus [1]. Conington de hac re iudicium certum non fert. Difficile enim esse dicit statuere quid significet verbum, quod est „volvere", quoniam fieri potest ut referendum sit 1°. ad rerum seriem et catenam, qua de re esse cogitandum monet A. III 375; 2°. ad urnam, in quam sortes depositae quatiuntur; 3°. ad coli fila, quibus Parcae nere dicuntur; 4°. ad librum, quo fata continentur. Ad librum quod attinet, nullo e loco [2], nisi fallor, poetam de eiusmodi re cogitavisse patet, neque ad hunc locum videtur quadrare haec sententia. De nendo fieri potest ut sit cogitandum, quoniam Parcas munere suo sic fungi poetas saepissime descripsisse notum est (cf. e. gr. E. IV 46, X 815). Hanc autem explicandi rationem, a viro docto A. Vossio iam antea prolatam, recte Henricus reprehendit, cum locus hic nullas det ansas ad eiusmodi interpretationem [3]. Idem de interpretatione ad urnam pertinente est dicendum. Videtur vero hoc verbum ad rerum seriem et catenam esse referendum, quem ad modum Nettleshippius recte monuit. Hanc significationem ipsa volvendi notio indicare videtur, si memoria tenemus locutiones: „anni, fluctus volvuntur", quae apud poetas saepissime reperiuntur. Eodem modo res volvi dicuntur, quoniam eas deinceps fieri significatur. Praeterea si ipsum locum spectamus, negari non potest sermonem non solum esse de rebus constitutis, sed etiam de ordine, quo sint evasurae, ut e voce, quae est „hinc", est colligendum. Quod

1) Cf. ad loc: „Sive fila sua nere et cum iis fata, *ἐπικλῶσαι*, sive haec *moliri machinari*: hoc alterum verius."

2) De A. I 262 pauca verba mihi erunt infra facienda.

3) Cf. Forb. ad loc.

si ita est, intellegitur qua de causa poeta dixerit: „Parcas volvere". Denique monendum est eiusdem libri vss. 257—297, ubi mentio fit de iisdem rebus, poetam fecisse Iovem Venerem adloqui distinctis hisce verbis: „neque me sententia vertit" (vs. 260), „imperium sine fine dedi" (vs. 279). — Sed de hoc loco hactenus. Iam transeamus ad V 798, quo loco legitur:

„si concessa peto, si dant ea moenia Parcae".

Recte Aldenhovenius iam vidit ex hoc loco non esse concludendum Parcas apud poetam statuisse, ut conderetur Roma. Quamquam cum hoc viro docto mihi non convenit de verbi, quod est „fata", interpretatione [1], tamen e tota Æneide Romam condendam non Parcis, sed fatis adscribi manifestum est. Praeterea verbo, quod est „concessa", haec sententia videtur probari atque attendendum est ad vim pronominis, quod est „ea". Hoc pronomen apud poetam non solum subiecti repetendi potestatem sustinere et saepe non solum ad naturam rei significatae pertinere, sed etiam spectare ad res futuras vir doctus Wagnerus recte iam dixit: quod apparet ex XII 216: „at Rutulis impar *ea* pugna videri" i. e. pugna nondum coepta, sed instans. Eodem modo verbis illis: „si dant ea moenia Parcae", significantur moenia, quae aliquando sunt condenda [2].

Quae res si vera est, huiusce loci sententia bene quadrat ad ea, quae iam invenimus, Parcis scilicet esse curae, ut tempus expleretur quo res statutae fierent [3].

1) De hac re proximis paginis disputabitur.

2) Cf. Wagn. Quaest. Virg. XVII 4.

3) Cf. Aldenhoven o. l. p. 46: „allein wenn die Gründung Laviniums sonst durchaus als Bestimmung der fata erscheint und sich keine Stelle im

Quod ad A. III 379, ubi Parcae dicuntur prohibere cetera scire Helenum, si memoria tenemus omnia oracula, quae edantur, poetam referre ad Iovem (cf. III 250) neminem credo futurum esse, qui contendat hunc locum esse documento Parcas sponte sua res agere, neque minoris est momenti Helenum sermonis initio de deorum rege dicere. Sic enim orditur vates: „nate dea; nam te maioribus ire per altum Auspiciis [1]) manifesta fides (sic fata deum rex Sortitur volvitque vices, is vertitur ordo" (vss 374—379).

Restat ut agatur de loco difficillimo, de quo iam permulta sunt disputata. Scriptum legitur Ec. IV 46—7:

„Talia saecla" suis dixerunt „currite" fusis
concordes stabili fatorum numine Parcae.

Heynius et Conington verba, quae sunt „talia saecla", pro vocativo esse habenda putaverunt. Iniuria autem mea quidem sententia. Ne dicam de insolentiore verbi „talia" vocativo, mirum esset si poeta Parcas cum saecula tum fusos adloqui fecisset. Iure igitur haec explicandi ratio reicitur, nec facere posumus quin ea verba pro accusativo esse habenda statuamus. Sed cum verbum, quod est „currite", sit intransitivum, nonnulli viri docti opinati sunt

---

Virgil findet, die die Parcen entschieden als selbständige Schicksalsmacht erkennen liesse, so werden wir auch hier nur eine Gewährung verstehen, die auf den Vorschriften der fata (durch concessa angedeutet) fusst und nur insofern Selbständigkeit voraussetzt, als alle Ereignisse der Zeit bedürfen, um sich zur Eintrittsreife zu entwickeln. Es würde sich also der einfache Gedanke ergeben: wenn nach den fatis wirklich eine Zeit eintreten soll, wo Lavinium gebauet wird."

1) Recte Lad.-Schaper-Deuticke-Jahn ad loc: „*maior. ausp.* unter höherer Leitung; denn Juppiter selbst will es so, wie in den folg. Versen gelehrt wird." De auspiciis conferatur praeterea Plüss o. l. pp. 114, 119, 122—3; Heinze o. l. pp. 56—7.

praepositionem „per" subaudiendam esse, ut locutio sit: „talia per saecla"; unusquisque autem videt horum versuum vim ac sententiam hac interpretatione omnino tolli; nam sermonem esse non de fusorum cursu, sed de eo, quod currendo efficiunt, perspicuum est. Accusativum igitur pendere a verbo „currite" recte iam vidit Serv. Dan., qui ad verbum adnotavit: „volvite". Porro hoc videtur stare Vergilium in animo habuisse Catulliana illa: „vos, quae fata sequuntur, Currite ducentes subtegmina, currite, fusi" [1]); praeterea est commemorandum virum doctum Walters recte scripsisse eandem fere locutionem inveniri apud Symmachum [2]). Vir doctus Skutschius, qui eas voces a verbo „currite" pendere concedit [3]), poetam verba Catulliana non bene mutavisse putat [4]). Quod fieri potuisse confiteor, sed mihi persuasum est poetam de industria id fecisse ut perspiceretur Parcarum munus ad tempora adferenda (ut ita dicam), non ad tempora constituenda pertinere. Haec sententia cum iis, quae de Parcis intellexit poeta, optime congruit atque iis, quae leguntur versu sequenti, videtur confirmari.

Quod attinet ad huiusce versus verba, nihil esse mutan-

---

1) Cat. 64, 326.

2) Laud. in Grat., c. IX, Seeck p. 253: „et vere, si fas est praesagio futura conicere, iamdudum *aureum saeculum currunt* fusa Parcarum". (Cf. Class. Rev. vol. VIII, 1894, pp. 250—51, Notes on Vergil.) Itaque immerito v. d. P. Corssen nuperrime verbum, quod est „saecla", pro vocativo habendum esse putavit (Cf. B. Ph. W., m. Ian., an. MCMXIV col. 160).

3) Cf. Aus Vergils Frühzeit, 1906, p. 38 adn. 2: „nachträglich ist mir wahrscheinlicher geworden, dass Vergil *saecla* als objekt zu *currite* gemeint hat: „lauft Jahr hunderte ab".

4) o. l. p. 38: „offenbar stammt ja der vergilische Vers aus dem Schaltvers von Catull..... Und zwar ist die Umformung Keineswegs sehr glücklich."

dum mihi videtur. Haec enim lectio non solum in omnibus fere codicibus legitur et invenitur apud alios scriptores, sed etiam in sententiam optime quadrat. Nulla igitur est causa, cur censeamus cum Géza Nemethy (ut antea coniecit Tollius[1]) pro vocabulo „numine" legendum esse „nemine", quod apud Vergilii imitatorem quendam etiam occurrit CIL VI 20674[2]). Hoc solum mihi videtur esse quaerendum quanam ratione sit explicandus ablativus „numine". Aldenhovenius vocem „numine" cum verbo „dixerunt" coniungendam esse opinatus est[3]), sed, ne alia proferam argumenta, huic interpretationi prorsus obstat verborum collocatio. Qui autem recte viderunt verba „stabili fatorum numine" inter voces, quae sunt „concordes" et „Parcae", posita, ad has esse referenda[4]), de ablativi casus genere explicando alii aliud putaverunt. Erant qui arbitrati sermonem esse de ipsarum Parcarum decretis cogitarent ablativum qualitatis, qui dicitur, esse usurpatum, sed haec

---

1) Cf. Heyne-Wagner, Var. Lect. ad loc: „Tollius corrigebat *nemine*, refutatus a Burm. Anthol. p. 281 *Wr.*"

2) Cf. Appendix, Lad.-Schap-Deut., ad loc.

3) Cf. o. l. p. 47.

4) Vir doctus Corssen l. l. conicit hos versus scribendos esse hac ratione:

„Talia, saecla", suis dixerunt „currite" fusis
concordes „stabili fatorum numine" Parcae.

Hic autem scribendi modus mimine est probandus. *Primum* quid significent: „talia (saecula), o saecula, currite", non video. *Deinde* e verborum ratione: „suis dixerunt .... fusis" primo aspectu unusquisque videt verba: „suis fusis" pro dativo esse habenda, non cum adiectivo „concordes" coniungenda. *Denique* artificiosius verba, quae sunt „stabili fatorum numine", rettulit ad ea, quae Parcas dicere poeta fecit. Huic enim interpretationi verlorum compositio omnino obstat.

opinio ob causas supra allatas minime est probanda[1]); praeterea Dietschius recte scripsit: „si dictum est *numen habere alicuius rei*, inde non sequitur, ut *numine alicuius rei esse* dici potuerit." Eodem redire videtur opinio Heynii et Wagneri dicentium Parcas esse concordes in fatis hominum rerumque definiendis et constituendis, quamquam adnotationis initio scripserunt: „tale saeculum fato decretum succedit." Recte tamen hi viri docti viderunt numinis vocem significare voluntatem divinam, neque iniuria vir doctus Conington existimavit hoc loco quadam ratione inveniri pleonasmum, qui vocatur; vocem enim, quae est „fata", idem saepius sonare apud poetam infra demonstrabitur. Sed quodcunque de hac re iudicium fert aliquis[2]), hoc videtur constare poetam indicare voluisse illam voluntatem divinam esse stabilem, immutabilem. Quam ob causam Parcae concordes esse dicuntur. Itaque plerisque viris doctis, qui ablativo causae, quem dicunt, hoc loco poetam usum esse putant, omnino adsentior. Inde sequitur ut ipsae Parcae res non statuant, quod idem ex omnibus locis iam tractatis apparuit. Recte igitur Aldenhovenius dixit: „wir werden uns also entscheiden müssen ... dass Virgil das Verhältniss der Parcen zu den fatis durchaus und überall als ein solches habe aufgefasst wissen wollen, wo die Ersteren ohne Selbstentscheidung nur die Zeit zu

---

1) Recte Servius iam laudavit Horat. Carm. Saec. 25 ss.

„vosque veraces cecinisse, Parcae,
„quod semel dictum est stabilisque rerum
„terminus servet."

Cf. praeterea Catulli verba supra laudata.

2) Cf. o. l. p. 14.

3) Cf. Skutsch o. l. pp. 36—39.

verarbeiten haben, die zur Ausführung der letzteren erforderlich ist" [1]).

At hic vir tantum de fatis dicit, quamquam multis locis ad Iovem res constitutas esse referendas vidimus.

Pergamus igitur et de vocibus, quae sunt „fatum" et „fata", apud Vergilium disputemus.

4. De vocibus, quae sunt „fatum" et „fata", apud poetam.

Primum monendum est apud Vergilium *fata* ipsa pro diis non haberi. Inveniuntur quidem locutiones, quae sunt „fata vocant", „fata trahunt", „fata sequuntur", sed poetam figura, quae vocatur προσωποποιία, usum esse vix opus est dicere. Praeterea notum est Fata tantum invocari a Romanis eo tempore, quo nasceretur aliquis, quem ad modum e Tertull. verbis apparet: „dum per totam hebdomadam Iunoni mensa proponitur dum ultima die Fata scribunda advocantur" [2]). „Das ist aber auch alles", inquit vir doctus Otto, „was wir von einer Verehrung von Gottheiten des Fatums im echt röm. Glauben allenfals wissen" [3]). De hisce Fatis scribundis autem apud Vergilium sermo non est. Neque invenitur *Fatus*, quem cives Romanos ordinis tenuioris habuisse deum vir doctus Peter [4]) inuria

1) Cf. o. l. p. 47. Vide etiam Kunz o. l. p. 10. Minus recte igitur vir doctus MacInnesius dixit o. l. p. 172: „though Jupiter may promise vaguely, it is for the Parcae to determine the time of fulfilment."

2) Tertull. de anim 39.

3) Cf. Pauly-Wissowa, *i. v.* col. 2049.

4) Cf. Roscher o. l. *i. v.* Fatum c. 1452: „*Fatus* ein Gott der niederen Volksklassen. Er war also hiernach ein göttliches Wesen, das dem einzelnen zur Seite steht (Fatus meus, Fatus suus) e. q. s."

coniecit, ut viri docti Wissowa [1]) et Otto [2]) mihi videntur recte contendisse.

Verba, quae sunt „fatum" et „fata", inter omnes fere viros doctos constat derivanda esse a voce, quae est „fari". Cuiusnam autem sit dictum, fatum, quaerendum est; de hac re viri docti inter se non consentiunt. Vir doctus Otto, agens de principali vocis „fatum" notione, vocem hanc ad deos non esse referendam arbitratur, ita ut dicto non indicetur „deorum voluntas", sed quod dicit „Schicksalsspruch" [3]). Qui plerumque id dicunt, sunt dii ac potissimum Faunus [4]). „Das Schicksal", inquit ille, „hat also die Bezeichnung fatum deshalb bekommen, weil es als Spruch, Weissagung aus dem Munde göttlicher Seher verkündet wird" [5]). Idem de hac voce iudicat vir doctus Wissowa [6]). Haud vero scio annon hi viri docti de

1) Cf. o. l. p. 265: „wenn bei Petron (c. 42. 71. 77) und auf einigen Grabschriften von *malus fatus* oder *fatus meus* die Rede ist, so ist das nur eine der in der Vulgärsprache häufigen Ersetzungen des Neutrums durch eine masculine Bildung, nicht etwa, wie man gemeint hat ein göttliches Gegenbild zum Genius, was mit Deutlichkeit schon daraus hervorgeht, dass auf Grabschriften *fatus meus* ganz ebenso von Frauen wie von Männern gebraucht wird."

2) Cf. o. l. col. 2050.

3) Cf. o. l. col. 2048: „Fatum ist also der Schicksalsspruch, die Aeusserung über das, was sein wird, keine Willenserklärung der Götter."

4) Cf. l. l.: „die Sprecher sind allerdings zumeist göttliche Wesen.... Und das ist vor allen anderen der Gott, der aus dem Wald seine bedeutungsvolle Stimme erschallen lässt.... Faunus.... Von diesem *fari* oder *fata canere* heisst er auch *Fatuus* oder *Fatulus*, uud seine Genossin *Fauna*, *Fatua*."

5) l. l.

6) Cf. o. l. p. 264: „erst der Plural Fata, ursprünglich rein abstrakt die Summe unverrückbarer Schicksalssatzungen und Schicksalsverkündungen (vgl. Plaut. Bacch. 953 ff.) bezeichnend e. q. s."

hac re recte disputaverint. Si enim verbum primo significat „Schicksalsspruch", inde necessario sequitur ut fati (Schicksal) notionem veteribus Romanis notum fuisse censeamus. Hoc vero distinctis verbis Wissowa negat[1]); nihilominus dicit verbis sequentibus *fata* primo significavisse „*rein abstrakt*[2]) die Summe unverrückbarer Schicksalssatzungen". Haec ratiocinatio mihi quidem non est perspicua. Accedit quod uterque vir doctus opinionis suae confirmandae causa revocat ad Plaut. Bacch. 953 ss., ubi fata esse oracula manifestum est[3]). Utrum oracula ad fatum (Schicksal) an ad deos sunt referenda? Si verum est, quod Wissowa dicit fati notionem ad Romanam religionem non pertinuisse (quod mea quidem sententia negari non potest) hoc loco de „*Schicksals*verkündungen", nisi fallor, dici non potest. Porro Otto laudavit Liv. XXV 12, 6, ubi *vates Marcius*, postquam finivit vaticinationem, dicit: „nam mihi ita Iuppiter fatus est". Hinc vir doctus videtur conclusisse Iovem vati nihil impertivisse nisi de fati decretis. Hoc autem, mea quidem sententia, nullo modo apparet. Quidnam obstat quominus Iovem volun-

1) Cf. l. l.: „der Begriff des *Fatum* aber hat nie in der Religion seinen Platz gefunden, sondern ist als Übersetzung und Verdolmetschung der griechischen *Αἶσα* ausschlieslich ein dichterischer und philosophischer Terminus."

2) Cf. p. 189 adn. 6.

3) Recte de hoc loco mihi videtur disseruisse vir doctus F. Marxius, Berichte über die Verhandlungen der König. Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften, Leipz., 1911, pp. 61—2: „in dem Nachlass der Komödie kommt das Wort nur bei Plautus Bacch. 950 ff. vor, wo sich die Ausdrucksweise an die Sprache der Tragödie anlehnt ... v. 951 (exquirit fata) ist fata Substantiv, v. 953 passives Participium, wie die Relativsatz erweist: dass es sich um die Göttersprüche und Weissagungen des Helenos handelt, zeigt der Bericht des Apollodor epit. V 10 p. 206, 19 ff. Wagner und des Proclus, ebenda p. 242, 25 ff."

tatem suam cum vate communicavisse arbitremur? Profecto haec interpretandi ratio magis in promptu est magisque est probanda, praesertim si memoria tenemus sermonem esse de illis Hannibalis temporibus, quibus populus Romanus, quippe cui imminerent multa ac magna pericula, deorum voluntatem explorare maxime studeret[1]).

Quibus de causis multo potius ad illam veterrimam opinionem (ut vir doctus Otto dicit l.l.) redeo et facere possum cum viro docto Petero, qui Romanos credidisse deos fato, dicto voluntatem suam indicare putat[2]), ita ut fatum primo significaverit „*Göttersspruch*". Rem ita se habere recentissimis temporibus vir doctus Fr. Marxius rursus demonstravit. Investigatis locis, ubi hoc verbum in scriptis ad tempora, quae ante Sullam erant, pertinentibus reperitur, dicit „dass die Etymologie und die Deutung des Grammatikers bei Servius zur A. II 777 „fata sunt quae

1) Conferantur ea, quae Marxius, coll. Liv. XXII 57, 5, XXIX 10, 6, XXII 9, 8, XXIX 10, 4, XXV 12 aliis, dicit o. l. p. 64: „die Zeit des hannibalischen Krieges ist die Zeit, in der das geängstigte Volk den Äusserungen des Willens der Götter, den Prodigien und Orakeln, seine gespannteste Aufmerksamkeit zuwendet."

2) Cf. Roscher o. l. *i. v.*, col. 1446: „nach röm. Glauben setzen die Götter, unter ihnen besonders Juppiter, durch Sprüche (fatum, fata), die ihren Willen offenbaren, die Geschicke der Menschen fest; was der Gott gesprochen, das ist das Geschick, *fatum*, des einzelnen Menschen ebenso wie ganzer Städte e. q. s." Idem fere opinatur vir doctus J. A. Hild (cf. Daremberg et Saglio *i. v.* p. 1019): „il se rattache, ainsi que fas, désignant le droit divin par opposition à jus, au verbe *fari*. *Fatum* est originairement la parole inspirée, divine, celle qui annonce l'avenir et qui, par consequent, le représente; c'est ainsi que les oracles et les prédictions s'appellent fata (Serv. Æn. 8, 314). De là le mot passe à l'expression de la volonté des dieux, particulièrement de Jupiter (Serv. Æn. 10, 628; Isid. Orig. VIII 11, 90); il devient le synonyme exact de *αἶσα*, de même que *fas* est celui de *θέμις*."

dii fantur" für die ältere Zeit der lateinischen Literatur zu Recht besteht" [1].

Profecti ab hac sententia, quam ad poetas sc. Vergilium et Horatium quod attinet bene se habere ipse vir doctus Otto concedit [2], primum commemoramus eos locos, ubi apud Vergilium ea voce oracula vel dicta deorum significantur.

(*a*). Haec verbi vis dilucide apparet e G. IV 452, ubi legimus: „et graviter frendens sic fatis resolvit". Aristaeus enim „amissis... apibus morboque fameque" (vs. 318) Cyrenes matris suae iussu ad Proteum, deum marinum et vatem, qui omnia novit (vs. 392), iit „quaesitum oracula" (vs. 449). Eadem significatio multis locis in Æneide

---

1) Cf. o. l. p. 61. Agitur de explicandi ratione verbi, quod est „fato", quod invenitur Naeviano versu: „fato Metelli Romae fiunt consules" (cf. Ps. Ascon. ad Cic. in Verr. I, 10, 29, p. 140 Or.). Vocem vir doctus G. Wissowa (Genethliacon, Berl. 1910 p. 53) vertit: „durch unentrinnbare Schicksalsfügung", laudatis Liv. XXXI 48, 12 et Plin. epist. 18, 5. Hanc vero translationem improbavit Marxius, qui ob causas supra allatas vertit hunc in modum: „die Meteller werden Konsuln auf Grund oder infolge eines Orakelspruchs" (o. l. p. 63). Videas, quaeso, praeterea quae dicuntur pp. 64—65. — Quod attinet ad tempora inde a Sulla, de verbi huiusce significatione ille vir dicit: „seit der Sullanischen Zeit ist der Ausdruck fatum lösgelöst von dem Begriff des Orakelspruchs und Götterspruchs ... Die beiden oben angeführten Stellen aus Livius und Plinius sind deshalb schon zum Vergleich ungeeignet, weil an der ersteren Stelle der Ablativ durch ein beigefügtes *quodam* in seiner ursprünglichen und eigentlichen Bedeutung geändert wird, an der letzteren durch ein beigefügtes *quasi:* beide Schriftsteller haben sich gescheut, den Ablativ *fato* „durch Götterspruch und Götterwille", der so oft in der Æneas (I 2, II 738, IV 696, VI 449, 466, 713, IX 643, VII 50) begegnet wird, ohne diesen Zusatz anzuwenden, weil sie die Richtigkeit dieser Anschauung nicht durchaus vertreten oder die Sprechende Person vertreten lassen wollen" (p. 63).

2) Cf. ll.: „wenn aber auf diese Weise die betreffenden Dichterstellen eine richtige Erklärung finden e. q. s."

invenitur. Conferantur locutiones, quae sunt „fata ostendunt" (I 205), „data fata" (I 382), „fata canit" (III 444, VIII 83, 499, X 417) [1], „fatisque vocantia regna" (V 656), „poscere fata" [2] (VI 45), „arcana fata, Dicta" (VI 72), „fatis... portendi" (VII 255).

(*b*). Per oracula homines deorum *voluntatem* cognoscunt. Vocem igitur deorum voluntatem aut decretum significare negari non potest. Duae hae significationes interdum eodem verbo simul indicantur. Hoc manifestum est ex A. III 700, quo loco legitur:

„et fatis numquam concessa moveri
„apparet Camerina procul campique Geloi".

Quin hic et de oraculo et de decreto sermo sit nullum est dubium [3]. Eandem ob causam, nisi fallimur, fati voci

---

1) Cf. locutio, quae est „fatalia carmina" (Cul. 134). De hoc carmine variae exstant opiniones. Viri docti Fr. Leo (Culex, Berol. MDCCCXCI, p. 16), Skutschius (Aus Verg. Frühzeit, 1901, p. 135), Th. Birtius (Jugendverse und Heimatpoesie Vergils, Erklärung des Catalepton, Lpz. u. Berl. 1910, p. 9) alii hoc carmen a Vergilio esse scriptum negant. Mea quidem sententia recte iudicavit vir doctus Schanzius, dicens o. l. § 237: „die äusseren Zeugnisse sprechen in starker Weise für die Autorschaft Vergils: nicht bloss die Überlieferung gibt das Gedicht unter seinem Namen, sondern auch — und das wiegt schwerer — die Dichter Lucan, Statius und Martial kennen einen vergilischen Culex, und es liegt kein Grund zu der Annahme vor, dass ihr Culex ein anderer war, als der, den wir noch besitzen." Quibus de causis, postquam nonnullas perstrinxit difficultates, vir doctus concludit „dass Vergil im Alter von 16 Jahren, also im Jahre 55 oder 54 v. Chr., das Epyllion nach einer griechischen Vorlage bearbeitet und es erst im Jahre 44 mit einer umgearbeiteten Einleitung dem Augustus, der damals noch Octavius hiess, vorgelegt habe."

2) De hac locutione cf. Norden o. l. ad locum.

3) Cf. Servius ad loc: „*Camerina procul* palus est iuxta oppidum: de qua quodam tempore, cum siccata pestilentiam creasset, consultus Apollo, an eam penitus exhaurire deberent, respondit *μὴ κίνει Καμαρίναν· ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.*"

apponitur vocabulum, quod est „auctor", A. X 67: „Italiam petiit fatis auctoribus". Neque aliter est iudicandum de A. I 205—6, ubi sententia est haec: quia fata (i. e. oracula) sedes quietas ostendunt (i. e. promittunt) *fas* est „regna resurgere Troiae".

Sed deorum voluntatis aut decreti significatio luculenter patet e locis, quibus cum fati voce coniungitur vocabulum, quod est „dii", aut Iovis, Iunonis nomen. Sic scriptum legitur A. VII 239:

„sed nos fata deum vestras exquirere terras
„imperiis egere suis".

Ad II 54 Servius recte adnotavit: „quae dii loquuntur"; sed deorum voluntatem quoque significari e textu, qui dicitur, manifestum est. Fata deum nominantur iniqua A. II 257, quoniam Troianis deorum voluntas non erat propitia. Cff. praeterea VI 376, VIII 50 alii loci [1]). Latius quadam ratione patere videtur verbi vis A. III 717, quo versu fata deum narravisse Æneas dicitur, h. e. Æneas narrabat ea, quae e deorum decretis Troianis acciderunt [2]). Ad Iovem fata referuntur A. IV 614: „et sic fata Iovis poscunt", ubi Homerica illa: „Διὸς αἶσα" inveniuntur [3]). Eodem modo Iunonis voluntatis mentio fieri videtur A. VIII 292, VII 293 [4]).

1) Cf. Servius ad VII 50: „*fato* autem dicit voluntate: nam dii id fantur, quod sentiunt." — Vide etiam Cul. 347: „cum seu *caelesti* fato seu sideris ortu." Cf. de hac locutione quae vir doctus Birtius o. l. p. 180 dicit.

2) Cf. Coningt. ad loc.: „the decrees of heaven, as exemplified in his own and his countrymen's sufferings."

3) Cf. Serv. Dan.: „*fato* dicta, id est Iovis voluntas."

4) Ad hos locos postea recurram. Cf. Serv. ad VIII 292: „nam hoc est quod dicit 'fatis Iunonis', id est voluntate"; ad VII 293: „fatis hoc est voluntatibus."

Compluribus locis, quamquam voces, quae sunt dii, Iuppiter, non sunt adscriptae, tamen divinam voluntatem intellegi facile colligitur. Hoc apparet si comparamus ea, quae commemorantur A. III 7: „incerti, quo fata ferant", cum illis: „auguriis agimur divum" (vs. 5). Sic conferendi sunt A. II 34, 54, 433; A. II 257, III 17, X 380; I 2, 4; III 337, 338; alii loci. Eadem res quod ad Iovem attinet, cernitur ex A. IV 110—111:

„sed fatis incerta feror, si Iuppiter unam
„esse velit Tyriis urbem Troiaque profectis".

Ad hunc locum est conferendus A. I 299, ubi de Iovis voluntate sermonem esse recte iam adnotavit Servius. Cff. praeterea II 738, 779, V 784 alii loci.

(*c*). Saepenumero fati verbo intellegitur in universum *id quod decretum ac statutum est.* Fatis enim res omnes in peius ruunt ac retro sublapsae referuntur (G. I 199); Parcae sunt concordes, quoniam immutabilia sunt fata (E. IV 45); fata homines servant (A. I 546, VIII 512, 575) extollunt (XII 795), trahunt et retrahunt (V 709), superant (A. VI 511, XII 676); fato animae eorum, qui sunt mortui, rursus ad lucem superiorem veniunt (VI 713, 869); fata hominibus obstant (IV 440); hominum sedes fato sunt definitae (VII 120, VIII 334); fato adscribuntur bella, quae geruntur (VII 224, IX 643). Fata praeterea vocantur ea, quae accidunt hominibus (VI 683, 759; VIII 731, XII 111), gentibus (VII 224, 294; XI 287), urbibus (I 239, VIII 398). Quae res putabantur esse tam firmae ac certae ut per fata Æneæ Ilioneus iuraret (VII 234); eandem ob causam ipse Æneas dicitur fatalis esse (XI 232). His omnibus consideratis facile intellegitur verbum, quod est „fata", saepius usurpari pro periculis (IX 204), pro calamitatibus (II 194, III 182 = V 725), pro morte (E. V 34,

G. II 491, G. IV 496, A. I 222, II 121, IV 20, X 438 alii).—

Significationibus verbi, quod est „fatum", apud Vergilium indicatis, nonnulli loci, ubi hoc verbum invenitur ubique insunt aliquae difficultates, accuratius sunt inspiciendi. Legimus enim A. IV 696:

„nam quia nec fato merita nec morte peribat
„sed misera ante diem subitoque accensa furore."

Dido hoc loco dicitur mortua esse ante diem fato destinatum. Eadem locutio invenitur vs. 620, ubi Dido in Æneae caput exsecratur. Sed poeta Iovem dicentem facit X 467: „stat sua cuique dies". Quonam modo sunt hae res explicandae? Servius Epicuri Stoicorumque doctrinam poetam spectavisse putavit [1]), atque censuit poetae laudi esse quod illam opinionem homini h. l. ipsi sibi, hanc Iovi tribueret. Haec vero interpretatio nimis subtilis neque vera est. Mentio enim fit mortis voluntariae, quam Stoicos non reprehendisse sed laudavisse notum est [2]). Contrariam Vergilii fuisse opinionem de hoc mortis genere apparet, nisi fallor, cum ex hoc loco tum ex iis, quae A. VI 434 ss. commemorantur de iis, qui mortem sibi consciverunt. Servius Dan. doctius de fatis denuntiativis et condicionalibus disputavit, quae omnia ad hunc

1) Cf. imprimis adn. ad X 467.

2) Cf. Diog. Laert. VII 130: „*εὐλόγως τέ φασιν ἐξάξειν ἑαυτὸν τοῦ βιοῦ τὸν σοφόν, καὶ ὑπὲρ πατρίδος καὶ ὑπὲρ φίλων, κἂν ἐν σκληροτέρᾳ γένηται ἀλγηδόνι ἢ πηρώσεσιν ἢ νόσοις ἀνιάτοις*" (Arnim III p. 187 n. 757). Cf. Cicero de fin. III 18, 60: „in quo enim plura sunt, quae secundum naturam sunt, huius officium est, in vita manere; in quo autem sunt plura contraria aut fore videntur, huius officium est, e vita excedere. E quo apparet, et sapientis esse aliquando officium, excedere e vita, cum beatus sit, et stulti manere in vita, cum sit miser" (Arn. III p. 189 n. 763). Cf. Sen. ep. 12, 10: „agamus deo gratias, quod nemo in vita teneri potest: calcare ipsas necessitates licet" (Zeller o. l. p. 314, adn. 3).

locum nihil pertinere mihi videntur. Vir doctus Conington et alii hanc locutionem, quae est „ante diem", comparaverunt cum Homericis illis: „*ὑπὲρ μοῖραν*" [1]). Recte: nam omnino mihi convenit cum viris doctis Nägelsbachio, Autenriethio [2]), Bohsio [2]) apud Homerum nihil re vera contra fatum fieri censentibus. Idem de hoc loco Vergiliano statuendum esse mihi videtur. Hoc enim solum poeta indicare voluit Didonem neque vitam naturae reddidisse vel morte sua defunctam esse neque poenam aliquam morte sua solvisse, sed mortem voluntariam occubuisse. Iure igitur Henricus, coll. Plin. Ep. I, 12 [3]), verbum, quod est „fato", ad naturalem, ut aiunt, mortem referendum esse putavit. Itaque perspicuum est verba non ad vivum esse resecanda, cum discrimen vulgi, non philosophorum sit, quem ad modum iure Conington adscripsit [4]). Ut Dido hoc loco ante diem dicitur mortua esse, sic Euander, cum adspiceret Pallantis corpus mortuum, exclamavit: „ego vivendo vici mea fata" (XI 160). Haec verba ipse poeta exposuit additis illis: „superstes restarem ut genitor";

1) De hac locutione et illa: „*ὑπὲρ μόρον*" cf. Nägelsb.-Autenr., Hom. Theol., 1884[2] pp. 131—134; vide praeterea P. Bohse, Die Moira bei Homer, (Beilage zum III. Jahresbericht des Königl. West-Gymn. zu Berl. 1893, Progr. No. 67) pp. 8—10. Cf. Gruppe o. l. p. 990.

2) Cf. Näg.-Aut. o. l. p. 134: „wollen wir aber das gemeinsame Resultat beider Stellen ziehen, so dürfte es etwa lauten: auch wenn die Sterblichen, ohne oder mit Wissen und Absicht, der Moira enthoben zu sein, oder sie verachten zu können wähnen, verfallen sie derselben nur desto sicherer." Idem fere opinatur vir doctus Bohse l.l.

3) „Decessit ... et quidem sponte ... est enim luctuossimum genus mortis quae non ex natura nec fatalis videtur." Cf. praeterea Cic. Phil. I, 4, 10: „multa mihi imminere videbantur praeter naturam praeterque fatum." (Serv. ad IV 653.) Cf. Heinze o. l. p. 293 adn. 1.

4) Cf. ad loc: „the distinction which Virgil intends is practical rather than philosophical, and the words employed must not be weighed too nicely."

hic enim est ordo naturalis ut patres prius quam liberi moriantur. Neque ullam praebet difficultatem A. XII 395, ubi Iapyx dicitur medendi artem maluisse discere ut patris fata proferret i. e. mortem differret [1]). Sunt autem alii loci, VII 314 ss., VIII 395 ss., X 624 ss. [2]), quibus immutabilia quidem esse ea, quae sunt decreta ac statuta, sed videntur posse differri. Servius ea, quae VIII 399 commemorantur, poetam ab Etruscis repetivisse dicit [3]), quod fieri potest ratione habita Vergilii scientiae, de qua iam supra est dictum. Iniuria autem ex hisce rebus multi viri docti collegerunt Iovem non esse nisi fati ministrum poetam putavisse, qua de re infra disputabitur. Iam restat ut verba pauca faciamus de A. VII 583—84, ubi legimus:

„ilicet infandum cuncti contra omina bellum
„contra fata deum, perverso numine poscunt."

Omnes fere viri docti voces, quae sunt „contra fata deum", ad Fauni oraculum (vs. 96 ss.) referendas esse iudicaverunt. Sed iisdem verbis voluntatem quoque deorum intellegi negari non potest [4]). Quod si ita est, bellum contra deorum voluntatem fit. At poeta fecit Iovem Veneri dicentem decretum esse ut Æneas in Italia magnum gereret

1) Cf. Serv. ad loc.

2) Minus recte Conington mihi videtur putavisse huc esse adferendum A I 299. Hoc enim loco de dilatione eorum, quae sunt definita, non est sermo.

3) Cf. ad loc.: „sed sciendum secundum aruspicinae libros et sacra Acheruntia, quae Tages conposuisse dicitur, fata decem annis quadam ratione differri: quod nunc dicit Vulcanus potuisse fieri, ergo non est contrarium; nam fata differuntur tantum, numquam penitus immutantur: quod etiam Iuno dicit (VII 314) e. q. s."

4) Cf. ea quae Latinus exclamavit: „frangimur heu fatis" (vs. 594), atque ea, quae Servius ad versum 595 adnotavit: „*sacrilego sanguine* quia bellum sumebant contra voluntatem deorum."

bellum [1]). Primo aspectu has res prorsus inter se pugnare videri concedo. Qui vero locos accuratius inspexerit, non de eadem re mentionem fieri iis locis facile perspiciet. Nam A. VIII 584 sermo est de deorum voluntate, quatenus hominibus per oracula est indicata, sed A. I 263 ss. narrantur ea, quae inter deos fiunt. Latinus igitur, quippe qui illam divinam voluntatem ex parte tantum noverit, recte dicit: „contra fata deum". Nihilominus exclamando: „frangimur heu fatis... ferimurque procella" (vs. 594) significat duas has res, ab altera parte bellum re vera ex divina voluntate fieri, altera ex parte fore ut homines, qui „perverso numine" poscunt „infandum bellum", puniantur [2]). Quonam modo hae res sunt interpretandae? Est magna illa quaestio, quam omnes homines, qui Deum statuere ac regere omnia credunt, semper secum reputant, sed de qua nihil dicere possunt nisi illud: „*ignoramus*". Neque igitur mirum est Vergilium, pium poetam, de eadem re ita scripsisse ut quaestionem difficillimam non explicaret, sed tantum in medio poneret [3]).

1) Cf. A. I 263.

2) Cf. vss. 595—97:

„ipsi has sacrilego pendetis sanguine poenas
„o miseri. te, Turne, nefas, te triste manebit
„supplicium, votisque deos venerabere seris."

3) Eadem fere res cognoscitur ex A. VI 511, ubi Æneae Deiphobus dicit:

„sed me fata mea et scelus exitiale Lacaenae
„his mersere malis."

Servius ad hunc locum adnotavit: „secundum mathematicos (quos Chaldaeos esse Dietschius, coll. Tac. Hist. I, 22, recte dixit o. l. p. 29, adn. 226) qui dicunt etiam inimicitias ex fato descendere." Hanc vero sententiam prorsus alienam esse a Vergilio optimo iure hic vir iam monuit l.l., atque omnino adsentior ei dicenti: „unde nonne perspicitur sic censuisse Vergilium: etiamsi

Transeundum est ad aliam rem pertinentem ad locutiones, quae sunt „fata deum", „fata Iunonis", „fata Iovis". Invenimus vocem, quae est „fata", ita usurpatam significare voluntatem. De VII 293, ubi de fatis Iunonis est sermo, adsentior viro docto Heinzio dicenti hoc versu reperiri contrapositum quoddam rhetoricum [1]); nullo modo ex hoc loco est efficiendum Iunonem quoque decernere quo modo fierent res, poetam indicavisse. Hoc enim prorsus pugnaret cum iis, quae A. I 37—49, 257—296 narrantur, atque

ut facinus aliquod fieret, fatis decretum est, tamen eum qui perpetraret, culpa non liberari." —

In universum de doctrina pertinente ad praedestinationem (ut aiunt) apud Vergilium Sellarus dixit o. l. p. 344: „it is the doctrine of predestination in its hardest form." Quidnam hisce verbis intellexerit, cernitur ex illis: „they (sc. the Fates) act in a hard, plain, arbitrary way, irrespective of right and wrong, regardless of personal happiness or suffering" (o. l. p. 354). Haec autem verba omnino refutari videntur iis, quae locis supra allatis ac potissimum in libro Æneidos sexto commemorantur. Quare mihi convenit cum Randio, qui dicit (The Class. Journal, Vol. IV 1909, Virgil and the Drama I pp. 22—33, II pp. 53—61, by E. K. Rand) p. 55: „it is not true that the Fates act irrespective of right and wrong, regardless of personal happiness or suffering... The Fates consider right and wrong, for both Æneas and Dido, though acting naturally, and, to sympathetic humanity, pardonably, have crossed the moral law: retribution follows as inexorably as it would in Æschylean tragedy. There is plenty of moral edification in the story of Æneas, as Dante and all the middle Ages were only too well aware. What Virgil has done is to infuse into the idea of Fate an ethical content that it did not display in previous drama (posteriora haec verba minime probare possum)... Its clash with human wills is as tragic as before, but the reason is at hand in human error and sin, however natural. The final solution, therefore, brings us still further away from Euripides; it is essentially, though forces and ideals are differently named, the solution of Æschylus — the rational vindication of the moral law."

1) Cf. o. l. p. 291 adn. 1: „rhetorische Antithese ist in Junos grossem Monolog (VII 293) *fatis contraria nostris fata Phrygum*, wo es erst 'Wille', dann 'Schicksal' bedeutet."

cum distinctis verbis illis: „cur nunc tua (sc. Iovis) quisquam Vertere iussa potest? aut cur non condere fata?" [1]) Nec aliter est iudicandum de A. VIII 292, ubi „fatis Iunonis iniquae" Hercules labores, Eurystheo iubente, pertulisse dicitur. Omnes fere viri docti recte dixerunt Iunonem nihil facere nisi quod decretum erat; quae res perspicua est si Homerici versus (T 95—133) inspiciuntur. Apud Homerum quidem Iuno dicitur Iovem decepisse, sed unusquisqne concedet hanc sententiam omnino non quadrare in ea, quae in Æneide inveniuntur. — Maioris momenti est inquirere quid sibi velint locutiones: „fata deum" et „fata Iovis". Aldenhovenius ex hisce collegit: 1°. poetam, veterem dicendi rationem secutum, verbo, quod est „fata", indicavisse ea, quae a diis sunt statuta; 2°. quo magis divulgaretur illa Stoicorum doctrina, omnia sc. regi aeterna lege, cui essent subiecti ipsi dii, eo magis id verbum seiungi a deorum nomine; 3°. hanc rem ita fieri ut diceretur primum „fata Iovis aut alicuius dei", deinde „fata deum", denique „fatum vel fata" [2]). Virum

1) Cf. X 34—5.

2) Cf. o. l. p. 14: „ausser dem Beisatz deum findet sich (und wohl allein bei Virgil) einmal Iovis neben fata und ebenfalls.... Junonis. Von diesen beiden Fällen wird weiter unten die Rede sein, hier sei nur die Vermuthung ausgesprochen, das sich beim Virgil die letzten Spuren einer Vorstellungsweise und eines Sprachgebrauches finden, wonach die fata einer Gottheit und besonders des Iuppiter die von ihnen verhängten Beschlüsse oder Verfügungen bezeichnete; eine Vorstellungs- und Ausdrucksweise, die immer mehr zurücktreten mussten, je mehr sich die Idee einer über den Göttern stehenden Gesetzgebung entwickelte, die den Namen fata für sich in Anspruch nahm. Dazu zeigt wiederum der allgemeine Ausdruck fata deum den Uebergang, in welchem wenigstens schon der Einzelwille der Götter in allgemeinen Beschlüssen derselben aufgegangen ist und nothwendig eine Abhängigkeit jedes Einzelnen von den allgemeinen, feststehenden Decreten gedacht werden muss."

doctum verbum, quod est „fatum", primo significare id, quod a diis est statutum, putavisse est probandum, si recte supra disputavimus; neque negari potest ei verbo per annos suppositam esse illam notionem ad Stoicorum doctrinam de fato pertinentem. Attamen res habet cautiones, ne ea, quae tertio loco sunt dicta, sic reperiri apud Vergilium quoque arbitremur. Si enim de Iove Vergiliano capite secundo recte disseruimus, ea opinio ad Vergilium saltem quod attinet, prorsus (nisi admodum fallimur) est reicienda. Nam omnia deorum dicta — ut unum proferam exemplum — ad Iovem referri iam supra vidimus; inde facile colligitur Vergilium putavisse deorum fata non esse nisi Iovis fata. Quod si ita est, contrarium sententiae viri docti Aldenhovenii videtur demonstrari. Porro non minoris est momenti (si verum est quod vir ille dicit) apud Vergilium solum inveniri locutionem, quae est „fata Iovis". Hoc quidem videtur stare poetam in animo habuisse Homerica illa: *Διὸς αἶσα*, sed eum ipsis illis temporibus ea locutione usum esse non parvi est faciendum. Inde cognoscitur, nisi fallimur, non solum ad monotheismum, qui vocatur, inclinavisse poetam (quod supra ostendisse videmur quodque eorum temporum esse proprium multi viri docti recentissimis temporibus demonstraverunt), sed etiam esse cur Vergilium non ad illam Stoicorum doctrinam spectavisse putemus. Accedit quod iis, quae huiusce capitis paginis superioribus sunt disputata, eadem res videtur confirmari. Sed haec res, quae capite secundo quadam ex parte iam tractata est, ubi de dei verbo apud Vergilium agendum erat, nondum ad finem est perducta; restat enim ut investigemus *quaenam apud Vergilium sit ratio inter deos et fata*, eoque magis quoniam hoc verbo etiam in universum significari id, quod decretum ac statutum est, supra vidimus. Quam quaestionem ut bene discutiamus

profligemusque duae hae res tractentur, mea quidem sententia, necesse est: *altera* quinam apud Vergilium fatorum sint conscii, *altera* sintne dii apud poetam subiecti fatis necne. Iam igitur transeamus ad extremam huiusce capitis partem.

5. Quamnam rationem esse inter deos et fata[1]) poeta putaverit.

(*a*). Quinam apud Vergilium fatorum sint conscii.

Saepenumero in Æneide oraculorum, auguriorum, ominum mentio fit[2]); homines nihil faciunt nisi divina voluntate variis modis explorata. Hoc facile intellegitur, si modo tenemus quid hoc carmine poeta sibi proposuerit. Notatu praeterea est dignissimum Vergilium de oraculis, auguriis, ominibus, auspiciis in carmine saepe cecinisse ipsis iis temporibus, quibus ab altera parte contemnerentur res divinae, altera ex parte valeret — ut cum viro docto Ribbeckio loquamur — „die Sehnsucht nach einer neuen Wendung der irdischen Dinge, nach einem Friedensbringer für die sturmbewegte Welt, das Gefühl, dass die alte

---

1) Praestare mihi videtur scribi „*fata*" quam „*fatum*". Recte, nisi fallor, MacInnesius dixit o. l. p. 171, adn. 3: „we sometimes read of Jupiter's relation to *fatum*; but the fact that the plural cases of *fata* occur in the *Æneid* 104 times, while the singular cases occur only 15 times, shows that Virgil had no desire to use the word in the abstract philosophical signification current — e. g. in Cicero's *De Fato*."

2) Audiatur vir doctus M. Patin, Études sur la Poésie Latine, (Paris, 1900[4]) I p. 197: „c'est d'oracle en oracle, de révélation en révélation, de prodige en prodige, qu' Énée, à travers tous les obstacles suscités par des dieux ennemis, écartés par des dieux protecteurs, se rend et se fixe en Italie." Cf. Ribbeck o. l. p. 75 ss.

Zeit zur Rüste gehe und ein neuer Tag anbreche" [1]). Hisce rebus consideratis maximi est momenti, mea quidem sententia, poetam cives suos videri docuisse has duas res: 1°. oracula, a vatibus ceterisque diis enuntiata, ad unum deum esse referenda; eum deum res arcanas, quae sint decreta, indicare quibuscunque velit: 2°. ab illo solo fata sciri. Duae hae res breviter iam sunt tractandae.

(i) Quod ad *primum*, iam supra revocavimus ad locum gravissimum A. III 251—2, ubi legimus Apollinem dicere ea, quae Iuppiter praedixit. Apollinis autem iussu canunt ac praedicunt res futuras Celaeno (III 250), Nympha Carmentis (VIII 336) [2]), „effigies sacrae divom Phrygiique penates" (II 154 ss.), Deiphobe Glauci filia, Cymaea Sibylla (VI 12), Helenus (III 359), Cassandra (II 246—7), Calchas (II 120 ss.). Iovem igitur horum dictorum proprie esse auctorem facile intellegitur. Iuppiter Veneri res futuras pandit (A. I 256—296), sed non omnes, ut apparet ex iis, quae Venus dicit A. IV 110—112 [3]); neque aliter est iudicandum de iis, quae commemorantur A. III 379—80 de Iunone [4]) et Parcis, si perpendimus quae vss. 375—6 leguntur. Disertis quidem verbis non dicitur ab Iove audivisse Anchises de fatis, quae apud inferos Ænean doce-

1) Cf. o. l. p. 24.

2) Hoc e verborum perpetuitate ac convenientia facile potest colligi.

3) „sed fatis incerta feror, si Iuppiter unam
„esse velit Tyriis urbem Troiaque profectis
„miscerive probet populos aut foedera iungi".

4) Cf. I 19: „Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci *Audierat*." Iunonem non omnia audivisse concludendum est ex illis: „si qua fata sinant" (I 18), quamquam rem aliter se habere iis, quae A. I 39, V 784, VII 293, 313, XII 794 commemorantur, indicari videtur.

bat [1]), sed ea res, nisi fallor, colligitur ex iis, quae invenimus A. V 725 ss. Quod si ita est, idem ad Creusae vaticinationes (A. II 775 ss.) pertinet. Sed quid plura? Res manifesta est. Pauca autem verba sunt facienda de A. IV 519—20:

„testatur (sc. Dido) moritura deos et conscia fati
„sidera".

Ex hoc loco etiam sidera esse fati conscia secundum sententiam Vergilii nonnulli viri docti effecerunt. Sic vir doctus Conington: „the stars are appealed to as knowing the secrets of destiny". Iam notum est Stoicos sideribus vim divinam tribuisse [2]), qua de re recentissimis temporibus vir doctus Cumontius egit [3]). Fieri igitur potest ut poeta ad illam Stoicorum doctrinam spectaverit; addamus praeterea A. II 154: „vos, aeterni [4]) ignes, et non violabile

1) Ad A. VI 759 vir doctus Nordenius laudavit Ennianum versum (Ann. 18 ss.): „doctusque Anchisa, Venus quem pulcherrima dium fata docet." Quae ratio Iovi cum Venere intercedat ad hanc rem quod attinet, supra vidimus.

2) Cf. Cic. de nat. deor. I 36: „idem (Zeno) astris hoc idem (i. e. vim divinam) tribuit" (Arn. I p. 43, n. 165). Cf. Cic. o. l. II 15, 39: „atque hac mundi divinitate perspecta tribuenda est sideribus eadem divinitas, quae ex mobilissima purissimaque aetheris parte gignuntur, neque ulla praeterea est admixta natura, totaque sunt calida atque perlucida, ut ea quoque rectissime et animantia esse et sentire atque intellegere dicantur" (Arn. II p. 201, n. 684. Cff. alii loci ibidem laudati).

3) Cf. Fr. Cumont, Astrology and Religion among the Greeks and Romans, Lond. 1912; Cf. etiam Wendland o. l. p. 156 ss.

4) Cf. de hoc epitheto Cumontii o. l. p. 104: „the essential quality of these sidereal gods, the one most frequently insisted upon, is that they are everlasting. We have seen that astronomy had led the old Chaldeans to this notion... This theological notion penetrated with astrology into Roman paganism... The epithet *aeternus* completes and explains that of *invictus* which, like the former, is applied to the stars in general, and specially to

vestrum Testor numen", ubi sermo est de sideribus, quae et invocantur A. III 599, IX 429. Attamen haec explicandi ratio horum locorum altius petita esse mihi videtur, neque ullo modo, mea quidem sententia quadrat ad locum, de quo disceptatur. Verbum enim, quod est „fatum", significare mortem recte scripserunt Heynius, Wagnerus, Aldenhovenius[1]), Dietschius[2]) alii. Ut conscius aether (IX 429 cf. IV 167) invocatur, quippe qui omnia, quae in terra fiunt, quasi videat[3]), sic hoc loco sidera obtestatur Dido. Nihil igitur huic loco inest, quod pugnet cum eo, quod Iovis solius est fata scire.

(ii). Iovem Vergilianum omnibus ex partibus fatorum esse conscium non omnibus viris doctis est probatum. Haec opinio videtur aliqua ratione confirmari iis, quae A. XII 725 ss. legimus; quae dicuntur A. X 8, quem ad locum est conferendus A. I 263. Non solum de hac re viri docti inter se differunt, sed etiam nonnulli arbitrantur poetam putavisse Iovem quasi e libris fatalibus haurire ea, quae de fatis sciret. Hae res igitur breviter sunt perstringendae. Ordiamur a re posteriore. Locus praecipuus est A. I 261—262, ubi scriptum legitur:

„fabor enim, quando haec te cura remordet
„longius et volvens fatorum arcana movebo."

---

the Sun." Sed notatu sunt digna ea, quae sequuntur: „it is a remarkable fact that it is not until the second century of our era that this qualifying epithet *aeternus* comes into use in ritual at the same time as the cult of the god Heaven (*Caelus*) spreads."

1) Cf. o. l. p. 22: „IV 519 ruft sie die Gestirne als Zeugen ihres durch den Æneas verschuldeten Todes an."

2) Cf. o. l. p. 27.

3) Cf. ipse Conington ad IV 519: „their knowledge is appealed to somewhat similarly 9. 429, though there it is merely the knowledge, which they have as constant spectators of all that is done on earth."

Fieri potest ut poeta, usus verbis, quae sunt „longius ... volvens" (ubi verbum „volvens" idem esse atque „evolvens" plerique viri docti recte notaverunt) translationem a libro petiverit, quod Aldenhovenius[1]), Dietschius[2]), Conington[3]) alii existimaverunt. Attamen inde efficere, quem ad modum Conington facere videtur, poetam re vera eiusmodi librum intellexisse[4]), aut cum Dietschio censere eam ob causam fata extra Iovem posita esse habenda, minime est probandum. Si enim iis, quae poetae, usi translationibus quibusdam, cecinerunt, ipsas res esse indicatas censueris, multi loci mire (ne dicam absurde) explicentur; ad hunc locum quod attinet revoco ad G. IV 509, A. III 102, IX 528. Porro tantum abest ut hic locus sit adferendus, quo fata extra Iovem esse posita demonstretur, ut hinc apparere fata non significare nisi Iovis voluntatem vir doctus Heinzius optimo iure scripserit. Haec interpretatio optime quadrat ad ea, quae dicuntur vs. 260: „neque me sententia vertit," vss. 278—9: „nec metas rerum nec tempora pono: Imperium sine fine dedi"; vs. 283: „Sic placitum"[5]). Quae res si ita

---

1) Cf. o. l. p. 26: „die Mittheilungen, welche Juppiter der Venus ... als eine wie aus einem aufgeschlagenen Buch gezogene e. q. s."

2) Cf. o. l. p. 19: „ex iis, quae Iuppiter 257—262 respondet, luce clarius apparet, Iovem tamquam ex libro vel tabulis quid in fatis sit, depromere, ergo fata extra eum posita cogitari, tum quod fatis constitutum sit Troianis, mutari non posse." Cf. etiam Kunz o. l. p. 9.

3) Cf. ad loc: „*volvens* is probably a metaphor from a book unrolled ... Jupiter says he will open yet farther the secrets that lie in the book of fate."

4) Sic intellexisse hunc locum videtur Ovidius. Cf. Met. XV 809—814. Sed iure, mea quidem sententia, Wagnerus censuit „Ovidium haec verba arripuisse ac rhetorice, sed parum feliciter, exornavisse."

5) Cf. Heinze o. l. p. 291: „Virgil lässt keinen Zweifel darüber, dass in Wahrheit das Fatum nichts anderes ist als des höchsten Gottes Wille. Das

se habet, verbum, quod est „fabor", hoc loco a Vergilio graviter usurpatur, ita ut *fatum* sit quod Iuppiter dicit. Idem Servius[1]) rectissime adnotavit ad ea, quae Iovi Iuno dicit X 628—9: „quid, si, quae voce gravaris, Mente dares atque haec Turno rata vita maneret?" Ex hoc loco, nisi fallimur, etiam patet non solum fatum esse quod a Iove dicitur, sed etiam quae decrevit ac constituit (*mente* dares). Hisce rebus consideratis locutio, quae est „fatorum arcana", facile intellegitur, cum Iovis decreta nondum sint *edicta* (ut ita dicam) ideoque sint abstrusa et abscondita. Hanc ob causam mihi omnino convenit cum viris doctis Heynio et Wagnero, qui adducti locis[2]) a viro docto Bentleio ad Hor. Carm. III, 7, 20 laudatis, verbum „movebo" inter-

---

tritt begreiflicherweise ganz besonders deutlich heraus, wo zum ersten Male diese Dinge berührt werden, in dem Gespräch zwischen Juppiter und Venus I 229 ff. Venus beruft sich auf ein Versprechen des Juppiter: das sind die *fata* (239), mit denen sie sich bisher über die unglücklichen *fata* des Æneas getröstet hat: nun, da es anders zu kommen scheint, fragt sie, warum Juppiter seine Absicht geändert habe (237). Juppiter beruhigt sie: ihre *fata* seien unverrückt, er habe seine Absicht nicht geändert. Um sie vollends zu trösten, enthüllt er ihr die weiteren Geheimnisse von Æneas' *fata* (262); an Stelle der einfachen Voraussagung dessen, was geschehen wird, tritt einmal der Ausdruck des eigenen Willens (vs. 278); man sieht, dieser Wille ist mit der vorherbestimmten Zukunft identisch. Er weiss dann ferner, dass Juno ihren Sinn ändern und gleich ihm selbst die Römer lieben wird, und fügt hinzu *sic placitum* (283): auch hier ist sein Beschluss die Zukunft."

1) Cf. ad loc.: „*quae voce gravaris* quae negas fato; vox enim Iovis fatum est; Statius (Theb. I 213) *et vocem fata secuntur*, hoc autem dicit: utinam quae negas voce, id est fato, mente praestares. nam si Iovis vox fatum est, potest aliud fando fati ordinem commutare."

2) Quibus e locis sunt commemorandi Ovid. Met. XIV, 20: „At tu, sive aliquid regni est in carmine, carmen Ore move sacro"; Cic. Orat. c. 12, § 39: „Primisque ab his (sc. Herodoto et Thucydide), ut ait Theophrastus, historia commota est, ut auderet uberius, quam superiores, et ornatius dicere."

pretantur: proferam, manifesta faciam[1]). Prorsus igitur reicienda est huiusce verbi interpretatio, a viro docto Conington prolata, qui dicit: „the notion in *movebo* is that of *quieta movere*.... So *excitare* to cite, as we say colloquially, to rake up. „Awaken the secrets of Fate's book from the distant pages where they slumber". — Quibus omnibus perpensis facere possum cum Heynio et Wagnero censentibus verba „longius volvens" hoc loco idem sonare atque illa: „altius repetens". Itaque Iuppiter scit fata, non quo ea tamquam ex libro hauriat, sed quia sunt sua ipsius decreta.

Eodem modo ex iis, quae de Ψυχοστασίᾳ (ut aiunt) inveniuntur A. XII 725 ss., iniuria nonnulli viri docti[2]) collegerunt fata esse extra Iovem posita, ita ut explorare conaretur, quo tempore ex fatorum decretis moriendum esset Turno. Complures viri docti contenderunt hos

---

1) Cf. ad loc.: „ratio in eo inest, quod quae ἐκφέρομεν, proferimus, promimus, manifesta facimus, declaramus, proprie *movere* dici possumus."

2) Cf. Aldenh. o. l. pp. 26—27: „und wenn endlich Juppiter selbst XII 725, während des Zweikampfes des Æneas und Turnus die diversa fata derselben auf einer Wage prüft, um sich zu vergewissern welcher von Beiden sterben müsse.... so macht dies einen ähnlichen Eindruck, wie wenn Ovid. Met. I, 256 vom Juppiter sagt: „Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus" d. h. man findet auch den höchsten Gott nicht immer in voller kunde und zweifellosen Bewusstsein der zunächst ihm zur Ausführung vorliegenden Satzungen, so dass er im entscheidenden Moment auch wohl an seiner Kunde irre werden kann." Audiatur Dietschius o. l. p. 36: „A. XII 725.... ubi fata quid aliud sunt, nisi summae earum causarum, quae mortem adducant? quae num iam expletae sint, explorare debet Iuppiter." Nec non sunt commemoranda ea, quae MacInnesius (Class. R. XXIV, 1910, p. 172) dicit: „in 12, 725 we have the unhappy literary reminiscence, inserted forcibly into a description of a battle scene, which without runs smoothly, of Jup. weighing the *fata* of Æneas and Turnus.... One fact emerges from the scene—namely that the decision of the strife is made by some power other than Jupiter."

versus cum iis, qui antecedunt atque sequuntur, non bene concinere; poetam prave imitatum esse Homerum [1]); omisisse quod summum est, illa dico Homerica: „ῥέπε δ'αἴσιμον ἦμαρ" [2]); versus esse perlevi momento, quoniam Æneam debere victorem esse e tota Æneide pateat; et disputaverunt de eiusmodi rebus, si quae aliae sunt. Utrum recte disseruerint necne, hic non diiudicabo; sed minime, mea quidem sententia, ex hoc loco est coniciendum non Iovem sed numen quoddam divinum, Iove superius, res statuere ac decernere, quod MacInnesius putat; neque ullo modo sunt probanda ea, quae Dietschius dicit, fata scilicet hic esse summas rerum causas. Itaque mihi omnino est persuasum Vergilianum locum eadem ratione interpretandum esse, qua vir doctus Christius exposuerit versus Homericos. Ipse vir doctus audiatur: „die Handhabung der Wage ist nichts anderes als ein Zeichen, womit Zeus seinen Willen kund gibt, welchem sich sofort alles fügen muss... Zeus kündigt durch seine Wage Menschen und Göttern seinen Willen an und diese gehorchen dem Gebote des obersten und mächtigsten der Bewohner des Olympos... Der Wortlaut der betreffenden Stellen lässt auch nicht im

1) Il. X 209—212 (Θ 69—72). Cf. Macrob. V 13, 40: „sed haec et talia ignoscenda Vergilio, qui studii circa Homerum nimietate excedit modum. et re vera non poterat non in aliquibus minor videri, qui per omnem poesin suam hoc uno est praecipue usus archetypo."

2) Cf. Fabricius o. l. p. 18. Cf. tamen quae vir doctus G. Ihm, Vergilstudien I, Die Götter in der Æneis (Jahresbericht der Grossherzoglichen Realschule zu Gernsheim a. Rh. über das Schuljahr 1901—2) dicit p. 10: „XII 725—6 wägt Zeus nach dem Vorbild der Ilias die Schicksale der beiden Helden ab. Bei Homer tritt an beiden Stellen (8, 69 u. 22, 209) das Ergebnis zu Tag... Aequato examine erinnert an das Richten der Wage, Homer betont den Stoff und das Emporhalten. Der Ausdruck Vergils lässt das Thun des Zeus subtiler erscheinen."

entferntesten daran denken, dass bei dem Vorgange mit der Wage ein Schicksal, dessen Wille von dem des Zeus verschieden wäre beteiligt sein könnte" [1]). Nec alio modo de hac re apud Vergilium est iudicandum, quod Heinze quoque censere videtur [2]). Itaque non est cur putemus Iovem, fatorum nescium, hic explorare quae sint decreta. — Iam transeamus ad X 8, quo loco legimus: „abnueram bello Italiam concurrere Teucris", quamquam poeta fecerat ipsum Iovem dicentem Ænean in Italia gesturum esse magnum bellum (I 263). Numne efficiendum est Iovem fatorum non omnibus ex partibus conscium fuisse, ita ut sibi non constaret? Hoc saltem dici non potest, quoniam bellum utroque loco ad Iovis voluntatem refertur. Alia est quaestio quonam modo hi loci inter se pugnantes sint explicandi. Permulta de hac re iam sunt disputata, sed mihi videtur Heynius recte opinari hunc locum esse habendum inter ea, quae Æneidem non esse absolutam arguant [3]). Quodsi ita est, hic locus levioris est momenti. —

Quamquam ex iis, quae sunt dicta, iam apparuit poetam putavisse Iovem non solum fata scire, sed

1) Cf. Aug. Christ, Schicksal und Gottheit bei Homer, Innsbruck 1877, p. 48. Cf. Nägelsb.-Aut., Hom. Theol. (1884²) § 93, 8; Bohse o. l. p. 18: „die oben angeführten Stellen (X 209, Θ 69, Π 658) weisen darauf, dass die Handhabung der Wage eine geläufige Vorstellung ist... Sie ist nichts weiter als ein Symbol der Machtäusserung des durch keine Parteinahme beeinflussten Gottes."

2) Cf. o. l. p. 293, adn. 2: „Zwar, dass dem Turnus jetzt bestimmt ist zu fallen, war noch nicht gesagt: X 624 ss. war Juno noch Hoffnung gelassen, dass er am Leben bleibe, und XII 157 glaubt sie auch noch an die Möglichkeit; also wird Virgil durch jenes mythische Bild haben ausdrücken wollen, dass sich jetzt endlich Turnus' Schicksal in Juppiters Willen entscheidet."

3) Cf. tamen ea, quae de hoc loco disseruit vir doctus Heinzius o. l. p. 294 adn. 2.

etiam res statuere ac decernere, nihilominus breviter sunt tractandi ii loci, e quibus multi viri docti Iovem fati esse ministrum ideoque fato esse subiectum effecerunt. Transgredimur igitur ad alteram quaestionem.

(*b*). Sintne dii apud poetam subiecti fatis annon.

Ceteros deos fatis esse subiectos apud Vergilium vix opus est dicere; hoc solum quaerendum est, quid de hac re sit statuendum ad Iovem quod attinet. Ii, qui Iovem Vergilianum fati non esse nisi ministrum contendunt, demonstrare conantur: (i) aliam esse Iovis voluntatem, alia fata compluribus locis III 337, IV 440, IV 651, VIII 398; X 112, III 395; (ii) Iovem fati legi esse subiectum, laudatis IX 6, IX 94, XII 819. Hi loci igitur sunt inspiciendi.

(i). De *re priore* audiatur MacInnesius: „in 4. 651 ... there is a conjunction of agents that is hard to explain if *deus* be identified with Jupiter and *fata* with his will; but if the source of *fata* be placed elsewhere than in Jupiter's will, the mention of him or any other god as intermediary is quite suitable" [1]).

Tantum vero abest ut haec res ex hoc loco pateat ut plerique viri docti, Wagnerum secuti, scribendum esse non numerum pluralem (sinebant), sed singularem (sinebat) rectissime censeant. Haec enim lectio in optimis codicibus invenitur et verbis, quae sunt „fata deusque", una eademque notio significatur, quem ad modum recte iam monuit Wagnerus. Eadem res apparet ex IV 440 ubi legimus: „fata obstant, placidasque viri deus obstruit auris"; nam

1) Cf. o. l. p. 172.

hic vocem „fata" nihil nisi Iovis iussa [1]) esse ex iis, quae hoc libro commemorantur, dilucide patet. Neque ex A. III 337—8 efficiendum est fata extra deum esse posita, ita ut hic curet ut illa expleantur; nam cum venti tum fata a poeta ad deum referri videntur, et fieri potest ut voce „fata" hic indicentur oracula. At MacInnesius dixit plane distingui Iovem et fata A. VIII 398: „nec Pater omnipotens Troiam nec fata vetabant" [2]). Sed si recte de A. IV 651 disseruimus, idem mihi videtur de hoc loco esse iudicandum. Praeterea nihil arbitror obstare, quominus putemus hic quoque usurpari figuram, quae vocatur hendiadyoin, ut oratione soluta sententia sit: Pater omnipotens decretis suis non vetabat. Locus gravissimus, quo demonstretur aliud Iovis voluntatem aliud fata apud Vergilium esse, saepissime laudatur A. X 111 ss., ubi Iuppiter dicit:

„nec Rutulos solvo. sua cuique exorsa laborem
„fortunamque ferent. rex Iuppiter omnibus idem.
„fata viam invenient."

Talem opinionem ex hoc loco non esse petendam mihi videntur demonstrare 1°. ea quae leguntur vss. 105—6; 2°. quae dicuntur vs. 108 et illa: „nec Rutulos solvo"; 3°. verbum, quod est „exorsa"; 4°. ipsa locutio „fata viam invenient". Ad primum quod attinet, bellum, de quo agitur, ad Iovis voluntatem esse referendum iam supra ostendisse videmur [3]). Itaque facile perspicitur cur poeta fecerit

1) Cf. IV 226, 237, 238, 268—70, 282, 356, 377—8, 396 al.

2) Cf. o. l. p. 172: „against the identification of *fata* with the will of Jupiter many passages may be adduced. Most decisive, perhaps, are the passages, where the decision of *fata* aud of Jupiter.... are contrasted e. g. 8.398."

3) Cf. h. o. pp. 206—9.

Iovem dicentem: „nullo discrimine *habebo*", atque „*nec Rutulos solvo*". Aliud enim decreverat neque decretum illud mutabit, quod idem apparet ex illis: „sua cuique *exorsa* e. q. s.". Quemnam illa „*exorsa*" statuisse poeta sensit? Nonne Iovem? Nullum est dubium. Audias praeterea Iunonem de Turni morte Iovi dicentem: „quod ut o potius formidine falsa Ludar, et *in melius tua, qui potes, orsa* reflectas!" [1]) Hanc ob causam rex Iuppiter est idem omnibus, quippe qui omnibus omnia statuat neque in aliud „orsa reflectat" [2]). Quae cum ita sint „fata viam invenient" i. e. ea, quae sunt decreta, fient [3]). Hanc locutionem apud Vergilium sic interpretandam esse patet, nisi fallor, ex III 395, ubi reperiuntur eadem verba. Haec dixit Helenus, quem Æneas admodum perterritus ob Harpyiae vaticinationes consulebat. Vates, priusquam enuntiat res singulas, incipit hunc in modum: „sic fata deum rex Sortitur, volvitque vices; is vertitur ordo" [4]), quibus e verbis facile efficitur res

1) Cf. X 631—2.

2) Cum hac sententia mihi videntur non pugnare ea, quae A X 622 ss. commemorantur, si memoria tenetur, quae supra (pp. 209—10) de XII 725 ss. disputavimus.

3) Haec interpretatio bene mihi videtur quadrare ad ea, quae vir doctus Heinzius de hoc loco dicit, o. l. p. 294 adn. 2: „Juppiter nun, der ja in Sachen des Fatums natürlich höchste Autorität ist, könnte ein Machtwort sprechen, den Streit niederschlagen und den Krieg beenden; aber dann wäre das Gedicht aus, und *deshalb muss Juppiter vorziehen den Verlauf der Dinge selbst Aufschluss über das Fatum geben zu lassen, gleich als ob dies Juno besser von ihrem (wirklichen oder vorgeblichen) Irrtum überzeugen könnte als sein eignes Wort. Er verpflichtet sich nur, seinerseits nicht wieder einzugreifen, damit die Probe ungestört verlaufen könne .... Nach den Erfolgen des Æneas erklärt sich Juno auf Juppiters ironische Frage für überzeugt:* 606 ss."

4) III 375—6.

eo modo eoque ordine fieri, quo decreverit Iuppiter [1]). Pergit Helenus, qui, postquam dixit: „nec tu mensarum morsus horresce futuros" [2]) (quae verba ad Harpyiae vaticinationem pertinent) addit: „fata viam invenient". Intellegis igitur Helenum Æneae haec dixisse: noli timere, cum futurum sit ut Iovis decreta expleantur. Sed haec satis [3]).

(ii). Quod ad *secundum*, minime ex A. IX 6—7, mea quidem sententia, apparet Iovem fato esse subiectum, quod MacInnesius contendit [4]). Ea enim, quae Turno Iris dicit, omnino non ad vivum esse resecanda unusquisque videt. Quidnam — ut ipsa verba adferam — „volvenda dies attulit

1) Cf. Coningt. ad loc: „Jupiter is supposed to draw the decrees of fate like lots out of the urn, being *apparently the regulator, if not the actual author of destiny*. So 4.614 we hear of fata Iovis."

2) vs. 394.

3) De X 467 MacInnesius dicit o. l. p. 172: „that he (Jup.) is conditioned by some other power is shown in 10.467 (hoc autem minime apparet). This passage a reminiscence of Il. 16.433, shows an instructive dissimilarity from it. In Homer Zeus, while allowing that it is Sarpedon's portion (μοῖρα) to be killed, yet thinks about saving him, but is shamed from that by Hera. *Jupiter in the Æneid never thinks of violating fas or fata* (only goddesses, Juno and Cybele, dream of that)." Quam ob causam? Probabitne viri docti Aldenhovenii hanc ratiocinationem (o. l. p. 29): „seine Gewalt und der Anspruch, den er an den Gehorsam seiner Untergebenen macht, ist bedingt durch den eigenen Gehorsam, den er dem Gesetz leistet. Verweigerte er diesen, so hätte er als Urheber einer Revolution, in welcher ihm als Uebertreter des Staatsgrundgesetzes hinwiederum die Verpflichtung ihm zu gehorchen, nicht mehr zur Seite stände, den Impuls zu einer Anarchie gegeben, die ihn mit dem Verlust des Thrones, die Welt mit der heillosesten Verwirrung bedrohen würde" (!)? Idem fere Aldenhovenium secutus vir doctus Kunz iudicat o. l. p. 9. Nonne multo praestat censere causam in eo esse positam quod voce „fata" apud Vergilium Iovis voluntas intellegitur?

4) Cf. o. l. 172: „he (Jup.) is by implication included among the gods who on the testimony of a goddess, Iris (9. 6), could not have done what the course of events unaided has done."

ultro"? Nonne id significatur quod Æneas ad Euandrum ivit auxilium petitum (vs. 9)? Sed ex A. VIII 36 ss. manifestum est Tiberini dei iussu Ænean profectum esse. Nonne igitur vides iis verbis poetam descripsisse, quae Turnus, cum esset inscius, secum reputaret: Ænean scilicet incaute abiisse, qua de causa sibi occasionem, quam optaret [1]), castrorum oppugnandorum et expugnandorum esse datam? Nihil aliud ex hoc loco esse concludendum mihi persuasi. — Iam transeo ad XI 819, ubi Iovi Iuno dicit: „illud te, nulla fati quod lege tenetur, Pro Latio obtestor e. q. s." Iure Bouvierus dixit Iovem ea, quae cuperet Iuno, non recusare, quippe quae cum Æneae *fato* non pugnarent [2]). Iniuria autem putat Iovem quoque fato esse subditum [3]). Satis est revocare ad ea, quae iam supra ad I 261 ss. sunt dicta, neque sunt neglegenda ea, quae huiusce Æneidos libri vss. 808, 833 inveniuntur. — Iam reliquum est ut pauca verba faciamus de A. IX 94 ss., quibus versibus leguntur:

„O genetrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?
„mortaline manu factae immortale carinae
„fas habeant? certusque incerta pericula lustret
„Æneas? cui tanta deo permissa potestas?"

Primo quidem aspectu hic locus fata in Iovis ditione esse repugnare videtur, sed si locum accuratius inspexeris, rem non ita se habere tibi persuadebis. *Primum* manifestum est verba, quae sunt „certusque incerta e. q. s." minime examinanda esse duas ob causas: (a) Ænean

1) Cf. vs. 6: „quod optanti".

2) Cf. o. l. p. 10: „er verspricht daher auch die Erfüllung ihrer Bitte ... dann dieser Wunsch widerstrebt nicht dem Fatum des Æneas."

3) Cf. l.l.: „Jupiter ist also ebenso, wie alle anderen Götter, vom Fatum abhängig."

se ad Italiam perventurum esse certiorem factum esse multis e locis patet; „certum" igitur Ænean fuisse, sed nihilominus metuisse ne fluctibus obrueretur (I 94 ss.) [1]); (b) verba, quae sunt „incerta pericula", recte dicuntur ratione Æneae, non Iovis habita, si de casu et fortuna apud Vergilium supra recte disputavimus. *Deinde* ipsum id, quod Iuppiter negat fieri posse, ut sc. „mortaline manu factae e. q. s.", Iovis iussu fiet (vs. 101), atque factum est (vs. 114 ss.) [2]). *Denique* hoc loco poeta indicare vult, nisi fallor, fore ut res, quae sunt definitae, *tempore statuto*, non *ante tempus* fiant. Hoc apparet (a) ex eo, quod poeta diserte declarat haec verba esse dicta „tempore, quo primum Phrygia formaret (abat) in Ida Æneas classem" (vss. 80, 81); (b) ex iis, quae leguntur vs. 98, ubi imprimis notandum est particulam, quae est „immo", graviter dici; [3]) (c) e versibus 107 ss., quibus de Parcis sermo est. Porro si memoria tenemus, quamnam Iovi intercedere cum Parcis rationem apud poetam supra exposuerimus, facile intellegitur, quanta vis insit voci, quae est „ergo", versus initio positae. Hisce omnibus perpensis ex hoc loco, mea quidem sententia, hoc est efficiendum res a Iove definitas esse immutabiles atque futurum esse ut tempore statuto fiant. Neque parvi est momenti huic sermoni praemitti illa: „torquet qui sidera mundi" (vs. 93),

1) Cf. Coningt. ad loc.: „it may be said that this contradiction is incurred already, as Æneas knows that he shall reach Italy: but whatever may be the worth of the knowledge it does not prevent him from contemplating the possibility of drowning (I 94 foll.)."

2) Cf. ea, quae Turnus dicit vss. 128—129. Vid. praeterea quod de hac Iovis potestate Iuturna Turno dicit A. XII 878 ss.: „haec pro virginitate reponit? Quo vitam dedit aeternam? cur mortis adempta est Condicio?"

3) Cf. Coningt. ad loc.: „*immo:* Jupiter as it were amends the proposition, so that it is not, as Hand thinks i. q. *at*."

atque verbis dictis addi „dixerat.... Adnuit et totum nutu tremefecit Olympum" (vs. 106).

Idem fere de hoc loco vir doctus Heinzius, allatis Senecae verbis, iudicavit[1]). Sed, quamquam mihi est persuasum hunc virum doctum recte dixisse verba, quae sunt *„fatum"* et *„fata"*, apud Vergilium nihil nisi Iovis voluntatem ac decreta significare, tamen minus recte Iovis nomen pro illo Stoico fato scripsisse poetam putat. Iam supra vidimus Sellarum, quod attinet ad „patrem ipsum" in Georgicis idem contendisse, sed hanc opinionen non esse probandam demonstrare ibi conatus sum. Eandem ob causam ibi allatam viro docto Heinzio adsentiri non possum. —

Fata igitur non extra Iovem esse posita neque fati ministrum esse Iovem poetam putavisse, sed intellexisse eo verbo Iovis voluntatem ac decreta videmur ostendisse.

Ut omnia, quae sunt disputata, brevi complectamur, hoc videtur stare, Vergilium, quamvis verbo tenus dixerit de pluribus diis, re vera credidisse esse unum Deum, qui omnia regat omniaque statuat ac definiat. Hunc unum Deum plerumque nominavit Iovem, quod per se intellegitur. Nec mirum est poetam ad monotheismum inclinavisse, si memoria tenemus, quae aetatis illius ratio ac voluntas fuerit. Hac in re ad eum permultum pertinuisse Stoicos saepius indicavimus atque dilucide apparuit ex A. VI 724 ss. Hoc loco Vergilius sine ullo dubio pantheismum, qui vocatur, docet neque conandum est res ibi commemoratas alio modo explicare. Sed si poeta ab altera parte esse

1) Cf. o. l. p. 293: „man wird an Senecas Worte erinnert, durch die er kurz und scharf das Verhältnis des Weltbeherrschers zur Notwendigkeit ausdrückt: inrevocabilis humana pariter ac divina cursus vehit. ille ipse omnium conditor et rector scripsit quidem fata, sed sequitur; semper paret, semel iussit (Dial. I 5, 8)."

unum Deum, re vera personam (ut mihi persuasi), omniumque rectorem, altera ex parte hunc deum per omnes res ire putavit, quonam modo duae hae res, prorsus inter se pugnantes, sunt interpretandae? Equidem hoc facere non conabor. Veri est simillimum ipsum poetam tantam hanc repugnantiam non sensisse, certe non sic sensisse, quem ad modum nos Sacris Scripturis instructi eiusmodi rem sentimus.

Vergilius re vera multas ac varias res investigavit et percontatus est; ei cordi fuerunt res et humanae et divinae. Magnas quaestiones secum reputavit; vidit homines miseriis aerumnisque afflictos, neque non eiusmodi miserias ad iram divinam rettulit; cur impii homines punirentur intellexit, sed cum idem contingere hominibus piis videret, nihil aliud cecinit nisi illa: „dis aliter visum"; ei persuasum est ab altera parte omnes res ab aeternitate esse statutas, homines facinorum suorum rationes reddere debere ex altera parte. Hae ac tales res animum admodum commoverunt. Ad Epicureos confugit ut quaestiones solverentur, sed eorum doctrina ei non placuisse videtur; in aliarum sectarum atque imprimis in Stoicorum doctrinam studium contulit. Horum quidem praecepta in poetae naturam atque indolem magis quadrabant, sed omnibus ex partibus ei non satisfaciebant. „Stoicism", iure inquit vir doctus Gloverus, „draws him and holds him, but the poet in Virgil cries out against a world with no content and no meaning"[1]). Non solum poeta, sed etiam homo Vergilius

1) Cf. o. l. p. 304. Cf. p. 319: „theories are fascinating, we all know, but the poet „rejoices more in the spirit of life that is in him" (Wordsworth, Pref. to Lyrical Ballads, 1800). Hence it comes that Virgil sees more truly than Stoic or Epicurean, and he has done genuine service in bringing home to us the fact that their solutions of the question of human sorrow were not solutions at all. Whatever answer he may himself offer, he has at least

quaerebat ut *cor inquietum quiesceret in....* (?). Ille Augustinus, qui multis variisque doctrinis imbutus permultum errabat, denique e Sacris Scripturis unum ac verum Deum cognovit, ita ut scribere posset pulcherrima illa verba: „tu excitas, ut laudare te delectet; quia fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec *requiescat in te*" [1]). Haec scientia defuit Vergilio. Cecinit de divina iustitia, cecinit de divina misericordia [2]); admodum cupivit tempus adesse, quo homines fruerentur summa pace per providentiam divinam sic constituta; sed vera scientia de uno ac vero Deo non eius erat; scientia erat admodum deminuta ac mutilata; permulta deerant, permulta erant confusa et tenebricosa; nihilominus per Dei gratiam communem (ut aiunt) nonnullae aderant scintillae, ut quasi divino ore caneret Vergilius et tenderet

„manus ripae ulterioris amore" (VI 314).

---

advanced matters by making it clear that the question is no accidental or easy one, no side issue, but that it goes to the very depth of man's being and is an integral element of the problem of the universe." Cf. Sellar o. l. p. 277.

1) Confess. I 1.

2) Cf. Sellar o. l. p. 83: „the Power above man is regarded by him not as an unreal phantom created by our fears, but as the source and sanction of justice and mercy, of good will and good faith among men."

THESES.

I.

Verba, quae sunt „fatum" et „fata", apud Vergilium sensu Stoico non sunt intellegenda, nihil nisi Iovis voluntatem significant.

II.

Iniuria MacInnesius dicit: „though Jupiter may promise vaguely, it is for the Parcae to determine the time of fulfilment." (Class. Rev. XXIV, 1910: The Conception of Fata in the Æneid, p. 172).

III.

Verg. Æn. I 544—5:
„rex erat Æneas nobis, quo iustior alter
„nec pietate fuit nec bello maior et armis."
Post vocem, quae est „alter", non est interpungendum.

IV.

Heinzius dicens: „eine Liebesgeschichte gehörte für Virgil einfach zum integrierenden Bestande des Epos," videtur non satis perspexisse quae libri Æneidos quarti rationes sint. (R. Heinze, Virgils Epische Technik, 1908[2], p. 115).

V.

Immerito vocabulis, quae sunt „pater ipse", in Georgicis Iovem non indicavisse Vergilium Sellarus opinatur. (W. J. Sellar, The Roman Poets of the Augustan Age, Oxford 1908[3], p. 221).

VI.

Caesar. Bell. Gall. IV 3. Lege: „et paulo, quamquam sunt eiusdem generis, sunt ceteris humaniores."

VII.

Ciceron. de nat. deor. I 100 (ed. Müller): „qui etiam aberrant coniectura, video tamen, quid sequantur."

Codicum lectio, quae est „aberrant *a* coniectura", retinenda est.

VIII.

Horat. Carm. IV 5, 1:

„Divis orte bonis e. q. s."

Verba, quae sunt „divis bonis", ablativo qui dicitur absoluto posita sunt.

IX.

Tacit. Annal. I 8: „ex quis maxime insignes [visi], ut porta e. q. s."

Sic Nipperdey-Andresen. Iniuria uncis incluserunt *visi*; post hoc verbum colon ponendum est.

X.

Sophoclis O. R. vss. 1494—5 (ed. Dindorf—Mekler):

τοιαῦτ' ὀνείδη λαμβάνων, ἃ τ ο ῖ ς ἐ μ ο ῖ ς
γ ο ν ε ῦ σ ι ν ἔσται σφῷν θ' ὁμοῦ δηλήματα;

Recte Kennedy: *ταῖς ἐμαῖς γοναῖσιν.*

XI.

Thucyd. Hist. I 64, 1 (ed. Classen-Steup): *τὸ δ' ἐκ τοῦ ἰσθμοῦ τεῖχος εὐθὺς οἱ Ἀθηναῖοι ἀποτειχίσαντες ἐφρούρουν.*

Iniuria delevit Classen (Hude) vocem, quae est *τεῖχος.*

XII.

Lysiae Orat. VII 1 (ed. Hude): *νυνὶ δὲ οὕτως ἀπροσδοκήτως αἰτίαις καὶ πονηροῖς συκοφάνταις περιπέπτωκα.*

Ante *αἰτίαις* inserendum est *αἰσχραῖς.*

XIII.

Aristotel. de arte poet. 16, 1454[b] 37ss. (ed. Bywater): *ἡ τρίτη διὰ μνήμης, τῷ αἰσθέσθαι τι ἰδόντα, ὥσπερ ἡ ἐν Κυπρίοις τοῖς Δικαιογένους, ἰδὼν γὰρ τὴν γραφὴν ἔκλαυσεν, καὶ ἡ ἐν Ἀλκίνου ἀπολόγῳ, ἀκούων γὰρ τοῦ κιθαριστοῦ καὶ μνησθεὶς ἐδάκρυσεν, ὅθεν ἀνεγνωρίσθησαν.*

Iniuria Bywater vertit: „a third species is Discovery through memory, *from a man's consciousness being awakened* by something seen or heard e. q. s."

XIV.

Van de bevoegdheden van de *βουλή* te Athene is de *rechterlijke* de oorspronkelijke en de voornaamste geweest.

XV.

In zake de piëteit ten opzichte van de goden was er geen onderscheid tusschen de Epicureische en de Stoicijnsche opvatting.

XVI.

E. Vernon Arnold heeft in zijn werk „Roman Stoicism"

(Cambr. 1911) te weinig rekening gehouden met den invloed, dien Posidonius op de Romeinen had.

XVII.

De leer van de substantialiteit der ziel verdient de voorkeur boven die van de actualiteit der ziel.

XVIII.

De „ontdekking" der onbewuste voorstellingen mag niet worden toegeschreven aan Leibniz.

XIX.

Schonken's bijdrage tot de *cultuur*geschiedenis van het Afrikaansche volk is van groot belang (F. Th. Schonken, De Oorsprong der Kaapsch-Hollandsche Volksoverleveringen, Amst. 1914), maar toch is deze richting in de beoefening van de geschiedenis, waardoor de *politieke* geschiedenis op den achtergrond komt te staan, minder goed te keuren.

XX.

Het zoogenaamde gemengde B. A. examen van de Kaapsche Universiteit is met het oog op de studie der klassieke talen niet goed te keuren.

